

THE SARUM RITE  
Breviarium Sarisburiense cum nota.

Tome A.  
Fascicule 23.  
Pages [943]-[1034].

Tabula festorum divisione.  
Ordinarium misse.  
Misse votive.

Edited by William Renwick.

HAMILTON ONTARIO.  
THE GREGORIAN INSTITUTE OF CANADA.  
MMXIII.

*The Sarum Rite* is published by The Gregorian Institute of Canada/L'Institut grégorien de Canada, c/o School of the Arts, McMaster University, 1280 Main Street West, Hamilton, Ontario, Canada L8S 4L8. The Gregorian Institute of Canada is affiliated with the School of the Arts, McMaster University.

*The Sarum Rite* is distributed over the internet through .pdf files located at: [www.sarum-chant.ca](http://www.sarum-chant.ca)

This document first published January 1, 2013.  
Revised June 2022.

All rights reserved. This publication may be downloaded and stored on personal computers, and may be printed for purposes of research, study, education, and performance. No part of this publication may be uploaded, printed for sale or distribution, or otherwise transmitted or sold, without the prior permission in writing of the Gregorian Institute of Canada.

The Gregorian Institute of Canada/L'Institut grégorien du Canada is a charitable organization registered by the Federal Government of Canada.

[www.gregorian.ca](http://www.gregorian.ca)

© The Gregorian Institute of Canada, 2013.

## Tabula de festorum divisione.

[84v.]



Estum dividitur in festum duplex et in festum simplex.

¶ Festum duplex dividitur. In principale duplex. In majus duplex. In minus duplex. In inferius duplex.

¶ Principale duplex est scilicet : dies natalis Domini, dies epyphanie, dies pasche, dies ascensionis, dies penthecostes, dies assumptionis, festum loci, festum dedicationis.

*Principale duplex.*

¶ Et nota quod si principale duplex in una die evenerit : et in die sequenti majus duplex de quo fieri debeat servitium, vel econverso : tunc ultimum festum habebit utrasque vespervas : nisi in primo sabbato adventus Domini : in sabbato passionis, in sabbato ramis palmaram vel in quarta feria ante pascha evenerit. Iste predictae dominice et cena Domini semper habebunt suas primas vespervas de quocunque fit servitium in die precedenti : et tantum solennis memoria de festis in his diebus contingentibus.

*Nota.*

¶ Et nota quod in his festis scilicet principalibus et majoribus, vij. viij. et ix. lectiones : in cappis sericis legantur : tamen in die omnium sanctorum iij. prime lectiones in cappis sericis legantur. Etiam in his festis thurificanda sunt altaria per ecclesiam similiter in singulis nocturnis, scilicet ad ij. v. et vij. lectionem thurificetur altare principale ab aliquo sacerdote in cappa serica : chorus quoque ab uno solo puero incensetur : sed in tempore paschali non incensetur altare neque chorus ad lectiones.

*Nota.*

¶ Majus duplex est scilicet dies purificationis, festum Sancte Trinitatis, festum Corporis Christi, festum visitationis, festum reliquiarum, festum Nominis Jesu, festum nativitatis beate Marie, festum omnium sanctorum.

*Majus duplex.*

¶ Et nota quod si majus duplex in una die evenerit et minus duplex in die sequenti vel econverso : majus habebit utrasque vespervas nisi impediatur ut supra. Etiam si minus duplex vel inferius duplex inter duo majora duplicia evenerint, tunc minus duplex vel inferius duplex carebit utrisque vespervas.

*Nota.*

¶ Minus duplex est festum sancti Stephani, festum sancti Johannis apostoli : festum sanctorum innocentium, festum sancti Thome martyris, dies circuncisionis : festum annuntiationis beate Marie, ferie ij. iij. iiij. hebdomadarum pasche, et penthecostes, dominica in octavis pasche, inventio sancte crucis : nativitas sancti Johannis baptiste : festum apostolorum Petri et Pauli, translatio sancti Thome :

*Minus duplex.*

transfiguratio : exaltatio sancte crucis : conceptio beate Marie.

*Nota.* ¶ Et nota quod si minus duplex in una die evenerit et in die sequenti inferius duplex vel econverso : ultimum festum habebit utrasque vespas nisi impediatur ut supra.

*Inferius duplex.* ¶ Inferius duplex est scilicet festum sancti Andree, Thome apostoli, Matthei apostoli, Gregorii pape et doctoris, Ambrosii episcopi et doctoris, Georgii martyris, Marci evangeliste, apostolorum Philippi et Jacobi, Augustini Anglorum apostoli, Jacobi apostoli, Bartholomei apostoli, Augustini episcopi et doctoris, Matthei apostoli, Michaelis archangeli, Hieronimi presbyteri et doctoris, translatio sancti Edwardi, Luce evangeliste, apostolorum Simonis et Jude. Festum sancti Georgii, secundum constitutiones provinciales est majus duplex. Et consulo ut ita servetur licet consuetudo hoc non habeat.<sup>1</sup>

*Nota.* ¶ Et nota quod memorie de duplicibus festis semper erunt solennes.

*Festum simplex dividitur in invit. triplex.* ¶ Festum simplex dividitur in Invitorium triplex. ¶ Invitorium duplex. ¶ Invitorium simplex. ¶ Invitorium iij. vel de sanctis, vel de octava.

*De sanctis.* ¶ De sanctis sunt scilicet festa sancti Nicolai, conversio Pauli, cathedra Petri, Johannis ante portam Latinam, translatio sancti Edmundi, Barnabe apostoli, commemoratio sancti Pauli, Marie Magdalene, Anne matris Marie, ad vincula sancti Petri, sancti Laurentii, decollatio sancti Johannis baptiste, Michaelis in monte Tumba, Martini episcopi et confessoris, Edmundi archiepiscopi.

*Nota.* ¶ Et nota quod si in aliquo sabbato a *Dómine ne in ira.* usque ad passionem vel ab octavis pasche usque ad adventum Domini : vel a secunda dominica adventus Domini usque ad festum nativitatis aliquod festum simplex ix. vel iij. lectionum cum regimine chori evenerit, vespere in sabbato erunt de dominica et memoria de festo : nisi tale festum fuerit quod in vj. feria precedenti suas primas vespas habere non poterit : et nisi octava epyphanie vel alie octave cum regimine chori in sabbato contigerint. Etiam si duplex festum in sabbato contigerit et festum simplex ix. vel iij. lectionum cum regimine chori in ij. feria sequenti : et aliud festum duplex in iij. feria proxima sequente : tunc in dominica vespere erunt de festo ix. vel iij. lectionum cum regimine chori et sic dominica carebit utrisque vespas. Et sic nota quod omnes sunt dominice et non alia festa que omnino carent utrisque vespas nisi quando festum simplex ix. vel iij. lectionum cum regimine chori inter duo festa duplicia evenerit.

*Nota.* ¶ Et nota quod memorie de istis festis simplicibus invitorium iij. habentibus in

## Tabula de festorum divisione.

---

principalibus et majoribus festis erunt sub silentio, etiam in minoribus ad j. vespervas sed ad ij. vespervas in minoribus et inferioribus ad utrasque vespervas erunt solennes.

¶ De octavis vel quando dies infra octavas sunt cum regimine chori : vel quando dies octava tantum est cum regimine chori.

*De octavis.*

¶ Quando dies infra octavas sunt cum regimine chori ut sunt iste octave scilicet epyphanie : ascensionis : Corporis Christi : visitationis : Nominis Jesu : assumptionis : nativitatis Marie : dedicationis ecclesie : si extra adventum et lxx. evenerit et festum loci si habet octavas.

*Quando dies infra octavas sunt cum reg. cho.*

¶ Et nota quod iste octave semper habebunt ij. vespervas et tantum memoriam de festo, de dominica, vel de commemoratione in crastino contingente, nisi duplex festum in octava vel in crastino octave forte contigerit : vel tale festum ix. vel iij. lectionum cum regimine chori : si infra tempus paschale evenerit quod suas ij. vespervas habere non poterit : tunc vespere erunt de festo : et solennis memoria de octava. Dominica tamen in hoc casu utrisque carebit vespervis ut talis octava dies utrasque habeat. In ipsa tamen octava die : de festo iij. lectionum fiant medie lectiones si proprie habeantur. In dominica vero infra octavas nunquam fient quando de octava fit servitium.

*Nota.*

¶ Et nota quod memorie de istis octavis semper erunt solennes de quocunque fit servitium.

*Nota.*

¶ Quando tantum dies octava est cum regimine chori : ut sunt octave scilicet apostolorum Petri et Pauli : nisi festum loci fuerit : dedicationis ecclesie si infra adventum vel lxx. evenerit.

*Quando dies tantum est cum regi. cho.*

¶ Et nota quod memorie de istis octavis in principalibus et majoribus festis ad utrasque vespervas erunt sub silentio : etiam in minoribus ad j. vespervas, sed ad ij. vespervas in minoribus, et [in]<sup>2</sup> inferioribus ad utrasque vespervas, erunt solennes.

*Nota.*

¶ Invitatorium duplex vel cum regimine chori vel sine regimine chori.

*Invitat. duplex cum regi chori.*

¶ Cum regimine chori vel de sanctis vel de diebus infra octavas cum regimine chori vel de commemoratione vel de dominica.

¶ De sanctis nota quod generaliter per totum annum observetur quod quodlibet festum ix. vel iij. lectionum cum regimine chori ad minus habeat unas vespervas nisi quando inter duo festa evenerit, habebit etiam ij. vespervas nisi impediatur per aliud festum cum regimine chori per dominicam vel per commemorationem. Et si non poterit habere ij. vespervas habeat tamen memoriam nisi ad j. vespervas in die circuncisionis : quia ibi non fiat aliqua memoria de sancto Silvestro. Et memorie de

*De sanctis nota.*

istis festis fiant ut supra de festis invitatorium iij. habentibus.

*De diebus  
infra oct. cum  
regi. chor.*

¶ De diebus infra octavas cum regimine chori nota quod quodcunque festum ix. vel iij. lectionum cum regimine chori infra octavas ante vij. diem evenerit, totum servitium erit de festo : et habebit utrasque vespervas etiam in sabbato et in dominica : et solennis memoria de octavis ad utrasque vespervas et ad matutinas et ad missam.

*Nota.*

¶ Et nota quod memorie de istis octavis semper erunt solennes de quocunque fit servitium, licet festum loci vel festum dedicationis infra octavas evenerit.

*De commemo-  
rationibus nota.*

¶ De commemorationibus nota quod si fiat servitium de aliqua commemoratione in crastino alicujus sancti ix. vel iij. lectionum cum regimine chori : vel alicujus dominice, vespere erunt de commemoratione et tantum memoria de festo vel de dominica nisi tale festum vel dominica fuerit quod suas j. vespervas habere non poterit : tunc fiat tantum memoria de commemoratione. Sciendum est etiam quod singulis ebdomadis per adventum nisi in iij. ebdomada, similiter ab octavis epyphanie usque ad iiiij. feriam in capite jejunii : et a dominica in albis usque ad festum penthecostes et a festo Trinitatis usque ad adventum Domini fiet servitium de commemorationibus si tot dies vacaverint in quibus commemoratio potest fieri, et si tantum due ferie vacaverint fiat servitium de festo loci : et de commemoratione beate Marie : si autem tantum una feria vacaverit tunc fiat de commemoratione beate Marie, impediatur autem servitium de commemoratione per festum ix. et iij. lectionum cum regimine chori, per octavam cum regimine chori : per ij. et iiiij.<sup>3</sup> feriam rogationum : per propria R̄. et proprias laudes sanctorum, per jejunium iiiij. temporum : per vigiliam sanctorum quamvis de temporali fuerit, et fiat servitium de sancta Maria in sabbato nisi impediatur ut supra. Cum autem in sabbato propter predicta impedimenta plenum servitium de sancta Maria fieri non poterit : tunc in aliqua alia feria ipsius ebdomade ubi convenientius possit celebrari, celebretur. Regula xj. milium virginum patet in die earundem.<sup>4</sup>

[85v.]

*Nota.*

¶ Etiam nota quod si aliquod festum cum regimine chori in aliqua ebdomada celebretur : et in crastino plenum servitium de sancta Maria fieri debeat, tunc in ipso festo fiant vespere de sancta Maria : nisi duplex festum fuerit : vel festum cum regimine chori unde suas j. vespervas habere non poterit : et nisi in octava cum regimine chori : tunc enim fiat memoria de sancta Maria solenniter : et semper cum hac antiphona, *Sub tuam protectionem*. per adventum vero cum hoc V̄. *Egrediétur virga*. Oratio *Deus qui de beáte*. Ab octavis epyphanie usque ad purificationem cum hoc V̄. *Sancta Dei génitrix*. Oratio *Deus qui salútis*. In alio tempore anni V̄. *Sancta*

*Dei. Oratio Concède nos.*

In commemorationibus nulla fiat memoria de cruce : nec de omnibus sanctis : sed de festo : vel octava sine regimine chori si contigerit. Tamen per adventum si fit memoria de adventu sed non de omnibus sanctis. In tempore paschali memoria de resurrectione sed non da cruce : nec de omnibus sanctis.

¶ Sciendum est etiam quod nulla commemoratio habebit ij. vespas nec memoriam in loco ij. vesperarum. *Nota.*

¶ Etiam nota quod in festis beate Marie et in octavis ejusdem nulla fiat memoria de commemoratione ejusdem in crastino contingenti, similiter fiat de aliis commemorationibus. *Nota.*

¶ Et nota quod memorie de commemorationibus semper erunt solennes. *Nota.*

¶ Notandum est etiam quod ad missas de commemorationibus infra lxx. dicitur sequentia et non tractus. Et quando sequentia vel tractus immediate sequitur gradale : tunc non repetatur gradale. Etiam in tempore paschali ad matutinas de commemoratione dicitur una sola antiphona super tres primos psalmos licet tres proprie antiphone habeantur. *Nota.*

¶ De dominicis vel principaliter privilegiatis, vel majus privilegiatis : vel minus privilegiatis : vel inferius privilegiatis. *De dominicis principaliter privilegiatis.*

De principaliter privilegiatis nota quod dominice principaliter privilegiate sunt dominica prima adventus Domini, dominica passionis, et dominica in ramis palmarum.

¶ Quodcunque festum licet principale duplex fuerit in his dominicis evenerit festum debet differri in crastinum, vel ulterius si necesse fuerit : et iste dominice semper habebunt j. vespas sed ij. vespere possunt esse de festo duplici infra passionem : vel de festo simplici ix. lectionum vel de commemoratione infra adventum. Et memorie de istis dominicis semper erunt solennes.

¶ De majus privilegiatis, nota quod dominice majus privilegiate sunt. Dominica secunda, tertia, et quarta adventus Domini : et omnes dominice a lxx. usque ad dominicam passionis. Iste dominice sunt sic privilegiate : quod si minus duplex : vel inferius duplex in his dominicis evenerit festum debet differri sed si principaliter duplex vel majus duplex in his dominicis evenerit servitium est de festo et hystoria cantetur in iij. feriis per hebdomadas. *De dominicis majus privilegiatis.*

¶ Etiam nota quod quodcunque festum in xl. celebrandum contigerit nichil de completorio xl. mutandum est : nisi quod in festo annunciationis dicitur in fine *Nota.*

hymni, *Glória tibi Dómine*. si extra passionem evenerit. Et memorie de istis dominicis semper erunt solennes.

*De dominicis  
minus  
privilegiatis.*

¶ De minus privilegiatis nota : quod dominice minus privilegiate sunt ille dominice in quibus inchoande sunt hystorie scilicet prima dominica in qua inchoanda est hystoria *Dómine ne in ira*. que dominica est sic privilegiata : quod si festum simplex ix. lectionum in illa dominica evenerit et tempus breve fuerit : scilicet continens unam dominicam tantum infra octavas epyphanie et lxx. festum ix. lectionum debet differri. Tamen si tempus prolixum fuerit inter dominicam in qua inchoanda est hystoria et lxx. festum ix. lectionum in eadem dominica in qua contigerit celebretur. Dominica etiam minus privilegiata est dominica proxima ante ascensionem Domini : de qua postea. Similiter omnes iste dominice sunt minus privilegiate : scilicet a *Deus ómnium*. usque ad adventum Domini : in quibus inchoande sunt hystorie : quod si festum simplex ix. lectionum in ipsis dominicis evenerit festum debet differri in crastinum nisi ad vincula sancti Petri : vel decollatio sancti Johannis baptiste, vel tale festum ix. lectionum quod in crastino sequitur aliud festum ix. lectionum et nisi sint octave cum regimine chori. Si vero festum ix. lectionum et inchoatio hystorie in aliqua dominica infra octavas cum regimine chori concurrant : servitium erit de festo novem lectionum et memoria de octava, de dominica : et de Trinitate : cum ceteris que pertinent. Cum itaque ob aliquam predictarum causarum aliqua hystoria in sua dominica inchoari non poterit : tunc per ebdomadam si ferie vacaverint inchoetur : ita quod memorie non omittantur. Si vero nulla feria vacaverit : et hystoria duratura fuerit plusquam per unam ebdomadam, tunc differatur usque ad proximam dominicam : vel dominicam sequentem, veruntamen si non fuerit duratura nisi per unam dominicam tantum : tunc ex necessitate in mediis feriis per ebdomadam tota cantetur hystoria, et expositio evangelii et ℞. ferialia eo anno non dicuntur, preter unum solum ℞. feriale quod legitur in ultima feria loco ix. ℞. ita quod si aliquod festum iij. lectionum ibidem reperiatur nichil fiat de festo nisi memoria ad vespervas, et ad matutinas de sancta Maria.

*Nota.* ¶ Et nota quod in omnibus sabbatis per estatem : scilicet a *Deus ómnium*. usque ad adventum Domini fiat processio ante crucem : nisi duplex festum fuerit : et nisi aliqua dominica debeat differri propter prolixitatem temporis : tunc nulla fiat processio : tamen in exaltatione sancte crucis fiat processio ante crucem si in dominica contigerit, licet duplex festum fuerit, et memorie de istis dominicis in



duplicibus festis erunt sub silentio : in aliis vero festis erunt solennes memorie. Et quotiens in sabbato ad vespervas per predictum tempus dicitur memoria de dominica. Similiter fiat memoria de Trinitate etiam in festo omnium sanctorum : si in sabbato vel dominica evenerit. Item falsi libri habent nullam memoriam de Trinitate in festo omnium sanctorum.

*Falsi libri.*

¶ De inferius privilegiatis nota quod dominice inferius privilegiate sunt omnes alie medie dominice in quibus hystorie non sunt inchoande scilicet dominice inter primam hystoriam *Dómine ne in ira.* usque ad lxx. si evenerint, et omnes medie dominice a *Deus ómnium.* usque ad adventum Domini.

*De inferius privilegiatis.*

¶ Et nota quod memorie de istis dominicis in festis duplicibus erunt sub silentio : in aliis vero festis erunt solennes.

¶ Etiam nota quod omnes dominice ab octavis pasche usque ad proximam dominicam ante ascensionem Domini sunt inferius privilegiate : quia si festum iij. lectionum cum regimine chori in ipsis evenerit, festum non debet differri : tamen memorie de istis dominicis semper erunt solennes.

¶ Etiam nota quod si in dominica proxima ante ascensionem Domini simplex festum cum regimine chori evenerit, differatur in ij. feriam vel in iij. feriam si ij. feria non vacaverit a festo cum regimine chori. Tamen si festum duplex in proxima dominica ante ascensionem Domini evenerit non differatur.

¶ Et nota quod in omnibus sabbatis ab octavis pasche usque ad ascensionem Domini fiat processio ante crucem cum hac antiphona, *Christus resúrgens.* de quocunque fit servitium : nisi in die inventionis sancte crucis si in sabbato vel in dominica evenerit, et non fiat aliqua alia memoria de resurrectione in sabbato quam antiphona *Christus resúrgens.* cum *℣. Dicant nunc.*

¶ Etiam nota quod quando fit servitium de aliquo sancto in dominica ab octavis pasche usque ad ascensionem Domini, secundum *Allelúya.* ad missam erit unum de illis ix. que intitulantur post octavas pasche et non de dominica.

¶ [Invitatorium duplex]<sup>5</sup> Sine regimine chori vel de sanctis : vel de octavis.

*Invitatorium duplex sine regimine chori.  
De sanctis.*

¶ De sanctis, vel de non conjunctis, vel de conjunctis.

¶ De non conjunctis, nota quod de festis iij. lectionum sine regimine chori infra octavas cum regimine chori contingentibus fiat tantum memoria nisi sint festis<sup>6</sup> ix. lectionum conjuncta : tunc enim fiant medie lectiones si proprie habeantur sinautem tantum memoria de festo conjuncto : et memoria de istis festis in inferioribus erunt sub silentio in principalibus majoribus et minoribus nichil fiat.

*De sanctis non conjunctis.*

¶ De conjunctis, vel duplicibus vel simplicibus.

*De duplicibus.* ¶ De festis conjunctis, festis duplicibus, nota quod memorie de istis festis conjunctis semper erunt solennes, nisi quando hujusmodi duplicia in dominicis celebrantur tunc memorie de sanctis conjunctis erunt sub silentio cum memoria de dominica et de Trinitate. Tamen in exaltatione sancte crucis fiat memoria de martyribus [Cornelio et Cypriano]<sup>7</sup> solenniter quacunque die evenerit.

¶ Etiam nota quod si festum ix. lectionum propter inchoationem hystorie differatur in crastinum et eidem festo festum iij. lectionum conjunctum fuerit tunc festum conjunctum non debet differri sed in ipsa dominica fiat de eo memoria ad vespervas, et ad matutinas et ad missam et medie lectiones si proprie habeantur : nisi tota hystoria cantanda fuerit. In mediis vero dominicis quando de dominica agitur :  
[86v.] de festo iij. lectionum semper erunt medie lectiones sive proprie habeantur sive non nisi R̄. de ij. nocturno cantanda fuerint ibidem.

*De simplicibus.* ¶ De simplicibus nota quod memorie de istis festis iij. lectionum simplicibus festis ix. lectionum conjunctis in principalibus et majoribus erunt sub silentio in minoribus et inferioribus erunt solennes. Tamen si festum exaltationis sancte crucis in dominica contigerit tunc ad ij. vespervas fiat memoria de sancto Nicomede sub silentio cum memoria dominicali.

*De octavis sine regimine chori.* ¶ De octavis nota quod memorie de istis octavis sine regimine chori in inferioribus erunt sub silentio in majoribus et minoribus nichil fiat.

¶ Invitatorium simplex, vel de sanctis, vel de feriis.

*De sanctis.* ¶ De sanctis vel sine nocturnis, vel cum nocturnis.

*De sanctis sine nocturnis.* ¶ De sanctis sine nocturnis, nota quod memorie de istis festis inferioribus erunt sub silentio : in majoribus et minoribus nichil fiat.

*De sanctis cum nocturnis.* ¶ De sanctis cum nocturnis, nota quod quando fit servitium de aliquo sancto iij. lectionum infra lxx. usque ad caput jejunii fiat cum nocturnis et nulla memoria de feria. A iiij. vero feria in capite jejunii usque in crastinum octavarum pasche, de hujusmodi festis iij. lectionum fiat tantum memoria ad vespervas et ad matutinas de sancta Maria : que precedet memoriam de Sancto Spiritu.

*De feriis.* ¶ De feriis vel principaliter privilegiatis : vel majus privilegiatis : vel minus privilegiatis : vel inferius privilegiatis.

*De feriis principali privilegiatis.* ¶ De feriis principali privilegiatis : nota quod iste ferie sunt principaliter privilegiatas scilicet feria iiij. a in capite jejunii. Feria v. vj. et sabbatum ante pascha et sabbatum ante penthecosten quodcunque vero festum in his feriis evenerit debet

Tabula de festorum divisione.

---

differrī : licet festum loci fuerit : sed si simplex festum fuerit, omnino omittatur : nisi in capite jejunii : tunc enim debet differrī in crastinum vel feriam vj. aut sabbatum.

¶ De feriis majus privilegiatis nota quod ferie majus privilegiate sunt omnes ferie a dominica passionis usque ad cenam Domini. Iste ferie sunt sic privilegiate quod si festum simplex ix. lectionum in his feriis evenerit nichil fiat de festo, si vero duplex festum habebit servitium cum neuma.<sup>8</sup> et *Jesu Christe.* et cum *Glória Patri.*

*De majus  
privilegiatis.*

¶ De feriis minus privilegiatis nota quod ferie minus privilegiate sunt omnes ferie in iij. ebdomada adventus Domini, omnes ferie a capite jejunii usque ad dominicam passionis : et ferie ij. et iiij. rogationum. Iste ferie sunt sic privilegiate quod nichil fiat de commemorationibus neque de festis iij. lectionum nisi tantum memoria ad vespervas et ad matutinas de sancta Maria.

*De minus  
privilegiatis.*

¶ De feriis inferius privilegiatis nota quod ferie inferius privilegiate sunt omnes alie ferie per adventum. Iste ferie sunt sic privilegiate, et omnes alie ferie precedentes quod fiat solennis memoria de feria de quocunque fit servitium. Tamen iste ferie inferius privilegiate non excludunt commemorationes.

*De inferius  
privilegiatis.*

¶ Nota de quocunque fiat servitium infra adventum fiet solennis memoria de sancta Maria : nisi quando plenum servitium fit de ea : similiter fiat a festo circuncisionis usque ad festum purificationis, etiam ab octava pasche usque ad vigiliam ascensionis fiat solennis memoria de resurrectione : de quocunque fit servitium : nisi in inventione sancte crucis.

¶ *Sequitur tabula.*<sup>9</sup>

A.	1 A.	16. 13. 5. 2.	E.	4 D.	17. 9. 6. 1.
	2 A.	18. 15. 10. 7.		5 D.	19. 11. 8. 3. 14.
	3 A.	12. 9. 4. 1.		1 E.	16. 5.
	4 A.	17. 14. 11. 6. 3.		2 E.	18. 13. 2. 10.
	5 A.	19. 8.		3 E.	15. 12. 7. 4. 1.
B.	1 B.	16. 13. 5. 2.	F.	4 E.	17. 14. 9. 6.
	2 B.	18. 10. 7. 4. 15.		5 E.	19. 8. 3. 11.
	3 B.	17. 12. 9. 1.		1 F.	16. 5.
	4 B.	14. 11. 6. 3.		2 F.	18. 13. 2. 10. 7.
	5 B.	19. 8.		3 F.	15. 12. 4. 1.
C.	1 C.	16. 13. 10. 5. 2.	G.	4 F.	14. 9. 6. 3. 17.
	2 C.	18. 15. 7. 4.		5 F.	19. 11. 8.
	3 C.	17. 12. 9. 1. 6.		1 G.	16. 13. 5.
	4 C.	19. 14. 11. 3.		2 G.	18. 10. 7. 2.
	5 C.	8.		3 G.	15. 12. 9. 4. 1.
D.	1 D.	16.	4 G.	17. 14. 6. 3.	
	2 D.	13. 10. 5. 2.	5 G.	19. 11. 8.	
	3 D.	18. 15. 12. 7. 4.	¶ <i>Explicit Tabula.</i>		

<sup>10</sup> [ **¶** *Devota oratio dicenda ante missam.*

**Q** Eus qui de indignis dignos,  
de peccatoribus justos : de  
immundis mundos facis,  
munda cor et corpus meum ab omni  
congitatione<sup>11</sup> et sorde peccati, et fac  
me dignum altaribus tuis ministrum  
et concede propitius, ut in hoc altari  
ad quod indignus accedo, hostias  
acceptabiles offeram pietati tue pro  
peccatis et offensionibus meis, et  
innumeris quotidianisque excessibus  
et pro omnibus hic circumstantibus,

universisque michi familiaritate et  
affinitate conjunctis, atque me odio  
aliquo insectantibus et adversantibus,  
cunctisque fidelibus Christianis vivis  
et mortuis et per eum sit tibi meum  
votum atque sacrificium acceptabile  
qui se tibi Deo Patri obtulit in  
sacrificium Jesus Christus filius tuus  
Dominus noster. Qui tecum vivit et  
regnat in unitate Spiritus Sancti  
Deus. Per omnia secula seculorum.  
Amen.

**¶** *Oratio devota de sacramento altaris.*<sup>12</sup>

**Q** Mnipotens et misericors  
Deus : ecce accedo ad sacra-  
mentum Corporis et Sanguinis  
Unigeniti Filii tui Domini  
nostri Jesu Christi. Accedo inquam  
infirmus ad medicum vite immundus  
ad fontem misericordie, cecus ad  
lumen claritatis eterne, egenus ad  
Dominum celi et terre, nudus ad  
Regem glorie. Rogo ergo immense  
majestatis tue abundantiam : qua-  
tenus meam digneris sanare infirmi-  
tatem lavare fetiditatem<sup>13</sup> illuminare  
cecitatem, ditare paupertatem, vestire  
nuditatem, ut panem angelorum,  
Regem regum, Dominum domi-  
nantium, tanta reverentia et tremore,  
tanta suscipiam contritione et amore,

tanta fide et puritate, tali proposito et  
humilitate, sicut expedit anime mee.  
Da michi queso illius Domini  
Corporis et Sanguinis non solum  
suscipere sacramentum : sed etiam  
virtutem sacramenti. Dulcissime De-  
us da michi sic suscipere corpus  
Unigeniti tui Domini nostri Jesu  
Christi, quod traxit de virgine Maria :  
ut corpori suo mystico merear  
incorporari ac inter ejus membra  
connumerari. O Pater amantissime :  
concede michi dilectum Filium tuum  
quem quidem velatum suscipere  
propino : revelata tandem facie con-  
templari. Qui tecum et cum Spiritu  
Sancto vivit et regnat in secula  
seculorum. Amen.]

*Preparatio ad missam.*

[87r.]



¶ *Volens confiteri dicat sacerdoti* Benedícite pater.

*Sacerdos.* Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis ad confiténdum ómnia peccáta tua. In nómine Patris et Fílii. *Éc.*

*Tunc dicat peccata sua :* quibus dictis dicat sacerdos Misereátur tui omnipotens Deus. *Éc.*

Indulgéntiam et absolutiónem. *Éc.*

Méritum passiónis Dómini nostri Jesu Christi, suffrágia sancte matris ecclesie, bona que fecísti et que per Dei grátiam fácies sint tibi in remissiónem peccatórum tuórum.

*Injungat penitentiam dicens* Et pro peniténtia speciáli dices hoc, et hoc. *vel* fácies hoc, et hoc.

*Tunc absolvat dicens* Dóminus noster Jesus Christus qui est summus pónitífex per suam piíssimam misericórdiam te absólvat. Et ego auctoritáte michi concéssa absólvo te primo a senténtia minóris excommunicatiónis si indígeas. Deínde absólvo te ab ómnibus peccátis tuis. In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

[*Ordinarium misse.*]<sup>14</sup>

¶ *Sacerdos volens accedere ad altare induat se sacris vestibus dicens.*

**V**eni Creátor Spíritus, Mentés tuórum vísita :  
Imple supérna grátia, Que tu creásti péctora.  
Qui Paráclitus díceris, Donum Dei altíssimi :  
Fons vivus ignis cháritas, Et spirítalis únctio.  
Tu septifórmis múnere, Dextre Dei tu dígitus :  
Tu rite promíssum Patris, Sermóne ditans gúttura.  
Accénde lumen sénsibus, Infúnde amórem córdibus :  
Infirma nostri córporis, Virtúte firmans pérpetim.  
Hostem repéllas lóngius, Pacémque dones prótinus :  
Ductóre sic te prévio, Vitémus omne nóxium.  
Per te sciámus da Patrem, Noscámus atque Fílium :  
Te utriúsque Spíritum, Credámus omni témpore.  
Sit laus Patri cum Fílio, Sancto simul Paráclyto :  
Nobísque mittat Fílius, Carísma Sancti Spíritus. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur.

℞. Et renovábis fáciem terre.

*Oratio.*

**D**eus cui omne cor patet, et  
omnis volúntas lóquitur et  
quem nullum latet secrétum : purífica  
per infusiónem Sancti Spíritus cogi-

tatiónes cordis nostri ut te perfécte  
diligere et digne laudáre mereámur.  
Per Christum Dóminum nostrum.

*Deinde sequitur antiphona* Introíbo ad altáre Dei. *Ps.* Júdica me Deus et discérne.  
[203]. *Totus psalmus dicitur cum Glória. Deinde dicitur antiphona.*  
Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui letíficat juventútem meam.

Kyri eléyson. Christe eléyson. Kyri eléyson.

Pater noster.<sup>15</sup> Et ne nos. Sed líbera.

Confitémini Dómino quóniam bonus. Quóniam in séculum misericórdia ejus.

Confiteor Deo : beáte Maríe : ómnibus sanctis : et vobis : peccávi nimis cogi-

tatióne, locutióne, et ópere, mea culpa : precor sanctam Mariám omnes sanctos Dei et vos oráte pro me.

*Ministri respondeant* Misereátur vestri omnipotens Deus et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra : liberet vos ab omni malo : consérvet et confirmet in bono, et ad vitam perdúcat etérnam.

*Sacerdos* Amen.

*Et postea dicat*<sup>16</sup> Confiteor. *quo dicto : dicat sacerdos* Misereátur vestri. *ut supra.*

*Deinde dicat sacerdos* Absolutiόνem et remissiόνem ómnium peccatórum vestrórum, spácium vere peniténtias, et emendatióne vite, grátiam et consolatióne Sancti Spíritus tríbuat vobis omnipotens et miséricors Dóminus.

*Ministri respondeant* Amen.

Confiteor. Misereátur vestri. *et* Absolutiόνem.

*Deinde dicat sacerdos versus* Adjutórium nostrum in nómine Dómini. Qui fecit celum et terram. Sit nomen Dómini benedíctum. Ex hoc nunc et usque in séculum.

Orémus.

**A**ufer a nobis Dómine quésumus  
omnes iniquitátes nostras : ut ad  
sancta sanctorum puris méntibus

mereámur introíre. Per Christum  
Dóminum nostrum.

*Tunc erigat se sacerdos et osculetur altare et hoc in medio : et signet se in facie sua : ita dicens* In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

*Deinde incipiat officium usque*

[87v.] **G**loría in excélsis Deo. Et in  
terra pax homínibus bone vo-  
luntátis. Laudámus te. Benedícimus  
te. Adorámus te. Glorificámus te.  
Grátias ágimus tibi propter magnam  
glóriam tuam. Dómine Deus Rex  
celéstis : Deus Pater omnipotens.  
Dómine Fili unigénite Jesu Christe.  
Spíritus et alme orphanórum paráclite.  
Dómine Deus Agnus Dei Fílius

Patris. *Primogénitus Maríe Virginis  
Matris.* Qui tollis peccáta mundi :  
miserére nobis. Qui tollis peccáta  
mundi : súscipe deprecatióne nos-  
tram. *Ad Maríe glóriam.* Qui sedes  
ad dexteram Patris : miserére nobis.  
Quóniam tu solus sanctus. *Mariám  
sanctíficans.* Tu solus Dóminus. *Ma-  
riám gúbernans.* Tu solus altíssimus.  
*Mariám corónans.* Jesu Christe. Cum



Sancto Spíritu : in glória Dei Patris.

Amen.

**C**redo in unum Deum. Patrem Omnipotentem factorem celi et terre : visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo : lumen de lumine : Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine : et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pylato : passus et sepultus

est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in celum sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem : qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur : qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam : et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

*Deinde sequitur Dominus vobiscum. et Oremus. Deinde dicitur Offertorium. Ipse vero accipiens calicem : diligenter ponat in loco suo debito super medium altaris : et inclinato capite parumper elevet calicem utraque manu offerens sacrificium Domino : dicendo hanc orationem.*

*Oratio.*

**S**uscipe Sancta Trinitas hanc oblationem quam ego indignus peccator offero in honore tuo : beate Marie et omnium sanctorum pro

peccatis et offensionibus meis, pro salute vivorum et requie omnium fidelium defunctorum. In nomine Patris. &c.

*Dicta oratione reponat calicem et cooperiat cum corporalibus ponatque panem super corporalia decenter ante calicem vinum et aquam continentem et osculetur patenam et reponat eam a dextris super altare sub corporalibus parum cooperiando. His itaque peractis eat sacerdos ad dextrum cornu altaris : et abluat manus dicens Munda me Domine ab omni inquinamento cordis et corporis mei : ut possim mundus implere*

opus sanctum Dómini. *Ablutis manibus sacerdos vertat se ad altare ad divinum officium exequendum, et stans ante altare : inclinatoque capite et corpore junctis manibus dicat.*

*Oratio.*

**I**N spíritu humilitátis et in ánimo  
contríto suscipiámur Dómine a te  
et sic fiat sacrificium nostrum in

conspéctu tuo ut a te suscipiátur  
hódie : et pláceat tibi Dómine Deus.

*Et erigens se deosculetur altare a dextris sacrificii : et dans benedictionem ultra sacrificium postea signet se dicens In nómine Patris. &c. Deinde vertat se sacerdos ad populum et tacita voce dicat Oráte fratres et soróres pro me : ut meum paritérque vestrum accéptum sit Dómino Deo nostro sacrificium.*

*Responsio clerici privatim. Spíritus Sancti grátia, illúminet cor tuum et lábia tua : et accípiat Dóminus digne hoc sacrificium laudis de mánibus tuis pro peccátis et offensióibus nostris.*

*In missis vero pro defunctis post ablutionem manuum sacerdotis : statim incipiat sacerdos junctis manibus in medio altaris conversus ad altare dicens. Hóstias et preces tibi Dómine offérimus.*

*Et chorus cantando respondeat. Tu súscipe pro animábus illis quarum hódie memóriam ágimus : fac eas Dómine de morte transíre ad vitam.*

*Et interim dicat sacerdos. In spíritu humilitátis.*

[88r.]

*Deinde statim dicat conversus ad populum tacita voce. Oráte fratres et sórores pro fidélibus defúntis.*

*Responsio clerici cantando. Réquiem etérnam dona eis Dómine : et lux perpétua lúceat eis. Quam olim Abrahe promisísti et sémini ejus.*

**¶** *Notandum quod in omnibus missis pro corpore presenti : et in anniversariis cujuscunque fuerint : et in trigintalibus dicitur Hóstias et preces. cum versu Réquiem etérnam. et Quam olim. In omnibus vero aliis missis pro defunctis non dicuntur nec in die animarum.*

*Et reversus ad altare sacerdos secretas orationes dicat juxta numerum antedictarum et ordinem ante epistolam, ita incipiens Orémus.*

*Quibus finitis dicat sacerdos aperta voce Per ómnia sécula seculórum. manibus non levatis donec dicitur Sursum corda.*

¶ *De Trinitate prefatio.*

¶ Térne Deus. Qui cum unigénito Fílio tuo et Spírítu Sancto unus es Deus : unus es Dóminus. Non in uníus singularitáte persóne : sed in uníus Trinitáte substántie. Quod enim de tua glória revelánte te crédimus hoc de Fílio tuo : hoc de Spírítu Sancto sine differentia dis-

cretiónis sentímus : ut in confessióne vere sempiternéque Deitátis : et in persónis proprietas : et in esséntia únitas : et in majestáte adorétur equálitas. Quam laudant ángeli, atque archángeli, chérubin quoque ac séraphin, qui non cessant clamáre una voce dicéntes.

¶ *De Sancto Spiritu prefatio.*

¶ Térne Deus. Per Christum Dóminum nostrum. Qui ascéndens super omnes celos sedénsque ad dexteram tuam promíssum Spírítum Sanctum hodiérna die in filios adoptiónis effúdit. Quaprópter pro-

fúsus gáudiis totus in orbe terrárum mundus exúltat : sed et supérne virtútes atque angélice potestátes hymnum glórie tue concínunt sine fine dicéntes.

¶ *De sancta cruce prefatio.*

¶ Térne Deus. Qui salútem humáni géneris in ligno crucis constituísti : ut unde mors oriebátur : inde vita resúrgeret. Et qui in ligno vícerat : in ligno quoque vincerétur. Per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant

ángeli : adórant dominatiónes, tremunt potestátes. Celi celorúmque virtútes ac beáta séraphin : sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítte júbeas deprecámur súpplíci confessióne dicéntes.

¶ *De sancta Maria prefatio.*

¶ Térne Deus. Et te in conceptione. Et te in annunciatíone. Et te in assumptione. Et te in nativitate. Et te in visitatióne. Et te in veneratióne beáte et glorióse sempérque vírginis Maríe exultántibus ánimis laudáre benedícere et pre-

dicáre. Que et Unigénitum tuum Sancti Spírítus obumbratióne concépit, et virginitátis glória permanente huic mundo lumen etérnum effúdit Jesum Christum Dóminum nostrum. Per quem *ut supra*.

¶ *De apostolis prefatio.*

Éterne Deus. Et te Dómine suppliciter exoráre : ut gregem tuum pastor etérnus non déseras : sed per beátos apóstolos tuos continúa protectióne custódias. Ut iisdem rec-tóribus gubernétur : quos óperis tui

vicários eidem contulísti préesse pastóres. Et ídeo cum ángelis et archángelis cum thronis et domi-natióibus. Cumque omni militiá celéstis exércitus hymnum glórie tue cánimus sine fine dicétes.

*Prefatio communis.*

¶ Er ómnia sécula seculórum. Amen.  
¶ Dóminus vobiscum. Et cum spíritu tuo.

¶ *Hic elevet sacerdos manus suas dicens*

Sursum corda. Habémus ad Dóminum.

Grátias agámus Dómino Deo nostro. Dignum et justum est.

¶ Vere dignum et justum est, équum et salutáre : nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte Pater omnípotens Eterne Deus. Per Christum Dómi-

num nostrum. Per quem majestátem tuam laudant ángeli : adórant domi-natióes tremunt potestátes. Celi celorúmque virtútes, ac beáta séra-phin. &c. *ut supra.*<sup>17</sup>

Sanctus Sanctus Sanctus.

*Item in aliis prefationibus, Et ídeo. ut supra.*

Sanctus Sanctus Sanctus Dóminus Deus sábaoth. Pleni sunt celi et terra glória tua osánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini : osánna in excélsis.

*Quando ultimo fit servitium de sancta Maria ante adventum : et ante septuagesimam : et in octavis visitationis, assumptionis, et nativitatis beate Marie : tunc dicitur hoc modo.*  
Benedíctus Maríe filius qui venit in nómine Dómini. &c.

*Deinde confestim manibus junctis et oculis elevatis incipiat. Te ígitur clementissime. corpore inclinato donec dixerit Ac pétimus.*

[88v.]

Canon.



E ígitur clemētissime Pater per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum súpplīces rogámus. *corpore inclinato donec dicat. ac pétimus. Hic erigens se*

*sacerdos osculetur altare a dextris sacrificii dicens, uti accépta habéas et benedicas. Hic faciat sacerdos tres cruces super calicem et panem dicendo, hec ✠ dona, hec ✠ múnera, hec ✠ sancta sacrificia illibáta.*

*Factis signaculis eleuet manus suas ita dicens.*

**I**N primis que tibi offerimus pro ecclésia tua sancta cathólica quam pacificáre : custódire : adunáre : et régere dignéris toto orbe terrárum una cum fámulo tuo papa nostro N.

et antístite nostro N. *id est proprio episcopo tantum et rege nostro N. Et dicuntur nominatim. Sequatur et ómnibus orthodoxis, atque cathólice et apostílice fidei cultóribus.*

*Hic oret pro vivis.*

**M**emento Dómine famulórum familiarúmque tuárum N. et N.

*In qua oratione ordo debet attendi propter ordinem charitatis. Quinquies*

*orat sacerdos. Primo pro seipso. Secundo pro patre et matre, carnali et spiritali : et pro aliis parentibus. Tertio pro amicis specialibus, parochianis et aliis. Quarto pro omnibus astantibus. Quinto pro omni populo Christiano : et potest hic sacerdos omnes suos amicos Deo commendare. Consulo tamen ut nullus ibidem nimis immoretur : tum propter cordis distractionem : tum propter immissiones que*

**C**ommunicantes et memoriam venerantes. In primis gloriose semperque virginis *inclinando parumper dicat* Marie genitricis Dei : et Domini nostri Jesu Christi. Sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andree, Jacobi, Johannis, Thome, Jacobi, Philippi, Bartholomei, Mathei, Simonis, et

*Hic respiciat sacerdos hostiam cum magna veneratione, dicens,*

**H**anc igitur oblationem servitutis nostre : sed et cuncte familie tue quesumus Domine ut placatus accipias diisque nostros in tua pace dis-

*Hic iterum respiciat hostiam dicens.*

**Q**uam oblationem tu Deus omnipotens in omnibus quesumus *Hic faciat tres cruces super utraque cum dicat benedictam : ascriptam : rati-* tam : rationabilem, acceptabilemque, facere digneris : ut nobis *Hic*

[89r.]

*possunt fieri per angelos malos : tum propter alia pericula. Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est et nota devotio : pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum : pro spe salutis et incolumitatis sue tibi que reddunt vota sua eterno Deo vivo et vero.*

Thaddei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Corneli, Cipriani, Laurentii, Grisogoni, Johannis, et Pauli, Cosme et Damiani. Et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas : ut in omnibus protectionis tue muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ponas : atque ab eterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*faciat crucem super panem dicens corpus. Hic super calicem et sanguis. Junctisque manibus dicens : fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*

*Hic erigat sacerdos manus et jungat : et postea tergat digitos, et eleuet hostiam dicens.*

**Q**ui pridie quam pateretur : accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas : et elevatis oculis in celum : *Hic eleuet oculos suos, ad te Deum Patrem suum omnipotentem. Hic inclinet se : et postea eleuet*

*paululum dicetis tibi gratias agens : benedixit : fregit. Hic tangat hostiam dicens, dedit discipulis suis dicens, Accipite et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.*

*Et debent ista verba proferri : cum uno spiritu : et sub una prolatione : nulla pausatione interposita. Post hec verba inclinet se sacerdos ad hostiam : et postea eleuet eam supra frontem ut possit a populo videri : et reverenter illam reponat ante calicem in modum crucis per eandem facte. Et tunc discooperiat calicem : et teneat inter manus suas non disjungendo pollicem ab indice : nisi dum facit benedictiones tantum ita dicens.*

**S**imili modo posteaquam cenatum est : accipiens et hunc preclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi *Hic*

*inclinet se, dicens gratias agens benedixit : dedit discipulis suis dicens, Accipite et bibite ex eo omnes.*

*Hic eleuet sacerdos parumper calicem : ita dicens.*

Hic est enim calix sanguinis mei novi et eterni testamenti mysterium fidei : qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Hic eleuet calicem, usque ad pectus, vel ultra caput dicens Hec quotienscunque feceritis in mei memoriam facietis. Hic reponat calicem et fricat digitos suos ultra calicem propter micas : et cooperiat calicem : deinde eleuet brachia sua in modum crucis junctis digitis usque ad hec verba, de tuis donis.*

**T**ande et memores Domine nos tui servi : sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini Dei nostri : tam beate passionis necnon et ab inferis resurrectionis sed et in celos gloriose ascensionis offerimus preclare majestati tue de tuis donis ac datis. *Hic*

*quinque cruces fiant : sed tres prime cruces super hostiam et calicem dicendo. Hostiam puram : hostiam sanctam : hostiam immaculatam. Quarta super panem tantum dicendo Panem sanctum vite eterne. Quinta super calicem dicendo et calicem salutis perpetue.*

**S**upra que propicio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti

Abel : et sacrificium patriarche nostri Abrahe : et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium immaculatam hostiam.

*Hic sacerdos corpore inclinato : et cancellatis manibus dicat. Supplices te rogamus. usque ad hec verba, ex hac altaris participatione. et tunc erigat se deosculans altare a dextris sacrificii : et faciat signum crucis super hostiam et calicem et in facie sua cum dicit omni benedictione celesti.*

**S**upplices te rogamus omnipotens Deus : jube hec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divine majestatis tue : ut quotquot *Hic erigens se osculetur altare a dextris sacrificii dicens* ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui. *Hic faciat signum*

*crucis super hostiam dicens corpus deinde super calicem dicens et sanguinem sumpsimus : omni Hic signet se in faciem dicens benedictione celesti et gratia repleamur : per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

**C** *Hic oret pro mortuis.*

**M**emento etiam Domine animarum famulorum famularumque tuarum *N. et N.* Qui nos precesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsi Domine

mine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis : ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

*Hic percutiat pectus suum semel dicens*

**R**obis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus : cum Johanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia,

Anastasia. Et cum omnibus sanctis tuis : intra quorum nos consortium non estimator meriti : sed venie quesumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. *Non dicitur Amen.* Per quem hec omnia Domine semper bona creas *Hic ter signet calicem dicens sanctificas : vivificas : benedicas : et prestas nobis. Hic*

[89v.]



*discooperiat calicem et faciat signaculum crucis cum hostia quinquies primo ultra calicem ex utraque parte illius calicis, secundo calici equale. Tertio infra calicem, quarto sicut primo, quinto*

*ante calicem per ip̄sum et cum ip̄so : et in ip̄so est tibi Deo Patri omnipōtenti in unitate Sp̄ritus Sancti : omnis honor et glória.*

*Hic cooperiat sacerdos calicem, et teneat manus suas super altare, usque dum dicit qui es in celis, ita dicens.*

**P**er ómnia sécula seculórum. Amen. Orémus. Precéptis salutaribus móniti et divína institutióne formáti audémus dícere. *Hic accipiat dyaconus patenam : eamque a dextris sacerdotis extento brachio in altum usque Da propícus. discoopertam teneat. Pater noster Hic elevet sacerdos manus dicens, qui es in celis sancti-*

*ficétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua sicut in celo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem. Chorus dicat Sed líbera nos a malo. Sacerdos privatim Amen.*

**L**ibera nos quésumus Dómine ab ómnibus malis pretéritis presentibus et futúris : et intercedente beáta et gloriósa sempérque vírgine

*Dei genitríce María : et beátis apóstolis tuis Petro, [et]<sup>18</sup> Paulo, atque Andréa : cum ómnibus sanctis.*

*Hic committiat dyaconus patenam sacerdoti deosculans manum ejus dextram et sacerdos deosculetur patenam : postea ponat ad sinistram oculum : deinde ad dextrum : postea faciat crucem cum patena ultra caput : et tunc reponat eam in locum suum dicens,*

**D**A propícus pacem in diébus nostris ut ope misericórdie tue adjúti : et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatióne secúri. *Hic discooperiat calicem, et sumat corpus cum inclinatione transponens in concavitate calicis retinendo inter pollices et indices : et frangat in tres partes : prima fractio dum dicitur. Per éundem*

*Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Secunda fractio. Qui tecum vivit et regnat in unitate Sp̄ritus Sancti Deus. Hic teneat duas fracturas in sinistra manu et tertiam fracturam in dextra manu in summitate calicis ita dicens aperta voce Per ómnia sécula seculórum. Chorus respondeat Amen. Hic faciat tres cruces infra*

*calicem cum tertia parte hostie dicendo*  
 Pax Dómini ✠ sit sem✠per vo✠bís-

cum. *Chorus.* Et cum spíritu tuo.

*Ad Agnus Dei. dicendum, accedant diaconus, et subdiaconus ad sacerdotem : uterque a dextris, diaconus propior subdiaconus remotior et dicant privatim. Agnus Dei qui tollis peccáta mundi : miserére nobis. Agnus Dei qui tollis peccáta mundi : miserére nobis. Agnus Dei qui tollis peccáta mundi : dona nobis pacem.*

*In missis pro defunctis dicitur hoc modo. Agnus Dei qui tollis peccáta mundi : dona eis réquiem. cum hac additione in tertia repetitione sempitérnam.*

*Hic cruce signando deponat dictam tertiam partem hostie in sacramentum sanguinis : sic dicendo.*

**H**ec sacro ✠ sáncta commíctio córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi fiat michi omnibúsque suméntibus salus mentis et córporis :

et ad vitam etérnam capesséndam preparátio salutáris. Per éundem Dóminum nostrum. Amen.

**¶** *Antequam pax detur dicat sacerdos.*

**D**omine sancte Pater omnipotens etérne Deus, da michi hoc sacrosánctum corpus et sánguinem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi ita digne súmerere ut mérear per hoc remissionem ómnium pec-

catórum meórum accíperere : et tuo Sancto Spíritu repléri : et pacem tuam habére : quia tu es Deus solus : et non est álius preter te : cujus regnum gloriósum sine fine pérmanet in sécula seculórum. Amen.

[90r.]

*Hic osculetur sacerdos corporalia in dextera parte et summitatem calicis : corpore Dominico prius tactum, et postea dyaconum dicens. Pax tibi et ecclésie Dei. Responsio. Et cum spíritu tuo.*

*Dyaconus a dextris sacerdotis ab eo pacem recipiat : et subdyacono porrigat. Deinde ad gradum chori ipse dyaconus pacem portet rectoribus chori : et ipsi pacem chori portent, uterque sue parti incipiens a majoribus. In festis vero et feriis quando chorus non regitur : pax a dyacono choro apportatur per duos extremos de secunda forma, cetera sicut prius.*

*Post pacem datam dicat sacerdos orationes sequentes privatim antequam se communicet tenendo hostiam duabus manibus.*

**D**eus Pater fons et origo totius bonitatis, qui ductus misericordia Unigenitum tuum pro nobis ad infima mundi descendere et carnem sumere voluisti : quem ego indignus hic in manibus meis teneo. *Hic inclinet se sacerdos ad hostiam ter. Primo dicendo. Te adoro. ij. te*

glorifico. *ijj. te tota cordis intentione laudo : et precor ut nos famulos tuos non deseras : sed peccata nostra dimittas : quatenus tibi soli vivo ac vero Deo puro corde et casto corpore servire valeamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

**D**omine Jesu Christe Fili Dei vivi : qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti : libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus meis et ab universis malis : et

fac me tuis semper obedire mandatis, et a te nunquam in perpetuum separari permittas Salvator mundi. Qui cum Deo Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

**C**orporis et sanguinis tui Domine Jesu Christe hoc sacramentum quod licet indignus accipio non sit

michi iudicio et condemnationi : sed tua prosit pietate corporis mei et anime salutis. Amen.

*Ad corpus dicat cum humiliatione antequam recipiat.*

**A**ve in eternum sanctissima caro<sup>19</sup> michi ante omnia,<sup>20</sup> summa dulcedo. Corpus Domini nostri Jesu Christi sit

michi peccatori via et vita. In nomine **✠** Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

*Hic sumat corpus cruce prius facta cum ipso corpore ante os.*

*Deinde ad sanguinem cum magna devotione, dicens*

**A**ve in eternum celestis potus michi ante omnia et super omnia summa dulcedo : corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit michi

peccatori ad remedium sempiternum in vitam eternam. In nomine Patris. *etc.*

*Hic sumat sanguinem : quo sumpto inclinet se sacerdos et crucem respiciens dicat orationem.*

**G**Rátias tibi ago Dómine sancte  
Pater omnipotens etérne Deus :  
qui me refecísti de sacratíssimo  
córporē et sánguine Fílii tui Dómini  
nostri Jesu Christi et precor ut hoc  
sacraméntum salútis nostre quod

sumpsi indignus peccátor non véniat  
michi ad júdicium, neque ad  
condemnatiónem pro méritis meis :  
sed ad proféctum córporis mei et  
ánime salúti in vitam etérnam.  
Amen.

*Qua dicta, eat sacerdos ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus digitis adhuc  
conjunctis sicut prius, et accedat subdyaconus et effundat in calicem vinum<sup>21</sup> et resinceret  
sacerdos manus suas ne alique reliquie corporis et sanguinis remaneant in digitis : vel in  
calice.*

**C***Cum vero aliquis sacerdos debet bis celebrare in uno die : tunc ad primam missam  
non debet percipere ablutionem ullam : sed ponere in sacrario vel vase mundo usque in  
finem alterius misse : et tunc sumatur utraque ablutio.*

*Post primam ablutionem dicitur hec oratio.*

[90v.]

**Q**uod ore sumpsimus Dómine  
pura mente capiámus et de

múnere temporáli, fiat nobis remé-  
dium sempitérnum.

*Hic lavet digitos in concavitate calicis cum vino infuso a subdiacono quo hausto sequitur*

*Oratio.*

**H**ec nos commúnio Dómine pur-  
get a crímine : et celéstis remédii

fáciat esse consórtes.

*Post perceptionem ablutionum ponat sacerdos calicem super patenam : ut si quid  
remaneat stillet : et postea inclinando se dicat. Adorémus crucis signáculum per quod  
salútis sumpsimus sacraméntum.*

*Deinde lavet manus : dyaconus vero interim corporalia complicit. Ablutis manibus et  
redeunte sacerdote ad dextrum cornu altaris : dyaconus calicem porrigat ori sacerdotis si  
quid infusionis in eo remansent resumendum. Postea vero dicat cum suis ministris  
communione. Deinde facto signo crucis in facie vertat se sacerdos ad populum  
elevatisque aliquantulum brachiis et junctis manibus dicat. Dóminus vobíscum. et  
iterum revertens se ad altare dicat. Orémus. Deinde dicat postcommunione juxta  
numerum et ordinem antedictarum orationum ante epistolam. Finita ultima  
postcommunione factoque signo crucis in fronte iterum vertat se sacerdos ad populum : et*

*dicat Dóminus vobiscum. Deinde dyaconus. Benedicámus Dómino. Alio vero tempore dicitur Ite missa est. Quotiescunque enim dicitur Ite missa est. semper dicitur ad populum convertendo. Et cum dici debeat Benedicámus Dómino. vel Requiéscant in pace. convertendo ad altare dicitur Benedicámus Dómino. His dictis sacerdos inclinato corpore junctisque manibus, tacita voce coram altari in medio, dicat hanc orationem.*

**P**Láceat tibi Sancta Trínitas  
obséquium servitútis mee et  
presta, ut hoc sacrificium quod óculis  
tue majestátis indignus óbtuli tibi sit  
acceptábile : michíque et ómnibus pro

quibus illud óbtuli : sit te miserán-te  
propiciábile. Qui vivis et regnas  
Deus. Per ómnia sécula seculórum.  
Amen.

*Qua finita : erigat se sacerdos signans se in facie sua : dicens, In nómine Patris. &c.  
Et sic deosculetur altare : et<sup>22</sup> eo ordine quo prius accesserunt ad altare in principio misse  
sic induti, cum ceroferariis et ceteris ministris redeant. Et statim post Deo grátias.  
incipiatur in choro hora nona : quando post missam dicitur dicta prius oratione dominica  
cum salutatione angelica. Sacerdos vero in redeundo dicat evangelium. In principio.  
cum vero sacerdos exuerit casulam et alia indumenta sacerdotalia dicat psalmos  
subscriptos cum antiphona*

5191. **T**rium puerórum. Ps. Benedícite  
sacerdótes. [52]. *usque ad finem  
cantici. Psalmus dicatur cum Glória  
Patri. Laudáte Dóminum in sanctis  
ejus. totus (cl.). [54]. Ps. Nunc*

dimíttis. [365]. Glória Patri. et Sicut  
erat. Deinde dicitur tota antiphona.  
Trium puerórum cantémus hymnum  
quem cantábant in. camíno ignis,  
benedicéntes Dómiunm.

Kyri eléyson. Christe eléyson. Kyri eléyson.

Pater noster. Et ne nos.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu.

Laudémus et superexaltémus eum in sécula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto celi. Et laudábilis et gloriósus in sécula.

Benedícat et custódiat nos Trínitas Sancta. Amen.

Non intres in iudícium cum servo tuo Dómine. Quia non justificábitur in  
conspéctu tuo omnis vivens.

Dómine Deus virtútum convérte nos. Et osténde fáciem tuam et salvi érimus.

Dómine exáudi. Et clamor.

Dóminus vobíscum. Et cum spírítu tuo.

Orémus.

[*Oratio.*]

**D**Eus qui tribus púeris mitigásti  
flammas ígnium : concéde pro-

pícius ut nos fámulos tuos non exúrat  
flamma viciórum.

*Oratio.*

**T**Re igne Sancti Spíritus renes  
nostros et cor nostram Dómine :

ut tibi casto córpore serviámus et  
mundo corde placeámus.

*Oratio.*

**A**Ctiónes nostras quésumus Dó-  
mine aspirándo prevéni, et adju-  
vándo proséquare, ut cuncta nostra  
operátio et a te semper incípiat, et per

te cepta finiátur. *Et finiantur he tres  
orationes sic, Per Christum Dóminum  
nostrum. Amen.*

[91r.]



¶ *In commemoratione Sancte Trinitatis.*

*Officium.*



Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas confitebimur ei quia fecit nobiscum

misericordiam suam. *In tempore paschali* Alleluya alleluya. *Psalmus.* Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

*Oratio.*

¶ Omnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione vere fidei eterne Trinitatis gloriam agnoscere : et in po-

tentia majestatis adorare Unitatem : quesumus : ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Qui vivis et regnas Deus.

*Ad Romanos xj. [33.]*

¶ altitudo divitiarum sapientie et scientie Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus : et investigabiles vie ejus. Quis enim cognovit sensum Domini : aut quis

consiliarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit illi : et retribuatur ei ? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

*Ij. ad Corinthios. xiiij. [13.]*

**F**Ratres. Grátia Dómini nostri  
Jesu Christi : et cháritas Dei et  
communicátio Sancti Spíritus sit

semper cum ómnibus vobis. In  
Christo Jesu : Dómino nostro.

*Gradale.*

**B**enedíctus es Dómine qui  
intuérís abýssos et sedes super  
chérubin. *℟.* Benedícite Deum celi  
quia fecit nobíscum misericórdiam  
suam.

**A**llelúya. *℟.* Benedíctus es Dómine

Deus patrum nostrórum : et  
laudábilis in sécula.

**A**llelúya. *℟.* Laudáte púeri Dó-  
minum : laudáte nomen Dómini. Sit  
nomen Dómini benedíctum, ex hoc  
et usque in séculum.

*Sequentia.*

**B**enedícta sit beáta Trínitas  
Déitas etérna, coequális glória.

Deus génitor, páriter natus génius  
cum Sacro Pneumáte pérmanens  
super omne quod extat.

Quibus est una semper volúntas et a  
se discrépans haud unquam triplicáta  
persóna.

Nam constat Déitas una non in tres  
Deos divísa quod fides fatétur a  
Christo orthodoxe dédita.

Hec namque pellit delícta pátriam  
cedit serénam : qua dulcem júbilant  
ágmina simphóniam célica.

Altithróni vestígia imitántur stolis  
candidáta.

Operiuntúrque binas quas captant  
post secli discrímína.

Et nos quos illústrat grátia Dei  
superaddémus nostra débita.

Quátenus catérva célica nobis má-  
neat post fúnera sócia.

Ultimóque perácto discrímíne pós-  
simus altis pérfrui mox paláciis.

Quo perspícua flagrat lux accénsa  
constánti flamma que Deus est visio  
nostra et salus etérna.

Angelórum que illústrat fórtiter  
péctora.

Ut in Christo solo sua defigant  
lúmina.

Hec namque est illa sitis flagrans  
qua tunc sítient ánime sanctórum et  
córpora.

Cum fuerint data perpétua eis pro  
bonis a júdice prémia.



¶ *Secundum Johannem xv. [26.]*

**I**N illo tēpore. Dixit Jesus  
discípulis suis, Cum vénerit  
Paráclytus, quem ego mittam vobis a  
Patre Spíritum veritátis qui a Patre  
procédit : ille testimónium perhibébit  
de me. Et vos testimónium perhi-  
bébitis : quia ab inítio mecum estis.  
[91v.] Hec locútus sum vobis : ut non  
scandalizémini. Absque synagógis

fácient vos. Sed venit hora : ut omnis  
qui interficit vos, arbitrétur<sup>23</sup> ob-  
séquium se prestáre Deo. Et hec  
fácient vobis : quia non novérunt  
Patrem neque me. Sed hec locútus  
sum vobis : ut cum vénerit hora  
eórum reminiscámini : quia ego dixi  
vobis.

*Offertorium.*

**B**enedíctus sit Deus Pater, uni-  
genítusque Dei Fílius, Sanctus  
quoque Spíritus : quia fecit nobíscum

misericórdiam suam. *In tempore  
paschali Allelúya.*

*Secreta.*

**S**anctífica quésumus Dómine  
Deus Trínitas Sancta per tui  
sancti nóminis invocatióem hujus  
oblatiónis hóstiam : et cooperánte

Spíritu Sancto : per eam nosmetípsos  
tibi pérfice munus etérnam. Qui  
vivis. In unitáte ejúsdem.

*Prefatio.* Qui cum unigénito. [925].

*Communio.*

**B**enedícimus Deum celi, et coram  
ómnibus vivéntibus confité-  
bimur ei : quia fecit nobíscum miseri-

córdiam suam. *In tempore paschali  
Allelúya allelúya.*

*Postcommunio.*

**P**roficiat nobis ad salútem cór-  
poris et ánimas Dómine Deus  
hujus sacraménti suscéptio : et sem-

pitérne<sup>24</sup> sancte Trinitátis ejusdém-  
que indivídue Unitátis conféssio. In  
qua vivis et regnas Deus.

¶ *In commemoratione Sancti Spiritus.*

[*Officium.*]



Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúya : et hoc quod cóninet ómnia sci-

éntiam habet vocis, allelúya, allelúya, allelúya. *Ps.* Exúrgat Deus et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

*Oratio.*

**D**eus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spírítu recta

sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

¶ *Lectio Actuum Apostolorum. viij. [14.]*

**I**N diébus illis. Cum audíssent Apóstoli qui erant Hierosólymis, quia recepíssent Samária verbum Dei : misérunt ad eos Petrum, et Johán-nem. Qui cum veníssent oravérunt pro ipsis : ut accíperent Spírítum

Sanctum. Nondum enim in quemquam illórum vénerat : sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos : et accipiébant Spírítum Sanctum.

*Gradale.*

**B**Eáta gens cujus est Dóminus Deus eórum : pópulus quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. *V.* Verbo Dómini celi firmáti sunt : et spírítu oris ejus omnis virtus eórum.

reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde.

*In tempore paschali primum Allelúya.*

**A**llelúya. *V.* Veni Sancte Spírítus,

*V.* Emítte Spírítum. *Secundum Allelúya. V.* Veni Sancte Spírítus. *ut supra.*

*Sequentia.*

**S**ancti Spírítus assit nobis grátia. Que corda nostra sibi fáciat habitácula. Expúlsis inde cunctis víciis

spiritalibus.

Spírítus alme illustrátor ómnium, Hórridas nostre mentis purga ténebras.

Amátor sancte sensatórum semper cogitátuum.

Infúnde unctiónem tuam clemens nostris sénsibus.

Tu purificátor ómnium flagitiórum spíritus,

Purífica nostri óculum interiórís hóminis.

Ut vidéri suprémus Génitor possit a nobis.

Mundi cordo quem soli cernere possunt óculi.

Prophétas tu inspirásti : ut precónia Christi precinuissent ínclita.

Apóstolos confortásti uti trophéum Christi per totum mundum véherent.

Quando máchinam per verbum suum fecit Deus celi, terre, márium.

Tu super aquas fotúrus eas numen tuum expandísti spíritus.

Tu animábus vivificándis aquas fecúndas.

Tu aspirándo das spiritáles esse hómines.

Tu divísas per linguas mundum et ritus adunásti, Dómine.

Idólatras ad cultum Dei révocas, magistrórum óptime.

Ergo nos supplicántes tibi exáudi propícus Sancte Spíritus.

Sine quo omnes preces casse cre- dúntur et indígne Dei áuribus.

Tu qui ómnium seculórum sanctos.

Tui nóminis docuísti instínctu am- plecténdo spíritus.

Ipse hódie apóstolos Christe,

Donans múnere insólito : et cunctis ináudito séculis,

Hunc diem gloriósum fecísti.

*Secundum Johannem xiiij. [23.]*

[92r.] **I**N illo témpore. Dixit Jesus dis-  
cípulis suis. Si quis diligit me :  
sermónem meum servábit. Et Pater  
meus diliget eum : et ad eum  
veniémus, et mansiónem apud eum  
faciémus. Qui non diligit me :  
sermónes meos non servat. Et  
sermónem quem audístis non est  
meus : sed ejus qui misit me Patris.  
Hec locútus sum vobis : apud vos  
manens. Paráclytus autem Spiritus-  
sánctus quem mittet Pater in nómine

meo : ille vos docébit ómnia : et  
súggeret vobis ómnia quecúnque  
dixero vobis. Pacem relínquo vobis :  
pacem meam do vobis. Non quó-  
modo mundus dat : ego do vobis.  
Non turbétur cor vestrum : neque for-  
mídet. Audístis quia ego dixi vobis :  
vado et vénio ad vos. Si diligerétis  
me, gauderétis útique : quia vado ad  
Patrem : quia Pater major me est. Et  
nunc dixi vobis prius quam fiat : ut  
cum factum fúerit credátis. Jam non

Missa de Sancto Spiritu.

---

multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus : et in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat

mundus quia diligo Patrem : et sicut mandatum dedit michi Pater : sic facio.

*Offertorium.*

**C**onfirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo

tuo quod est in Hierusalem : tibi offerent reges munera alleluya.

*Secreta.*

**M**unera quesumus Domine oblata sanctifica et corda nostra

Sancti Spiritus illustratione emunda. Per. In unitate ejusdem.

*Prefatio.* Qui ascendens. [925]. *Non dicitur in hac prefatione Hodierna die. nisi in ebdomada penthecostes tantum.*

*Communio.*

**F**actus est repente de celo sonus advenientis spiritus vehementis ubi erant sedentes alleluya : et replenti

sunt omnes Spiritu Sancto, loquentes magnalia Dei alleluya alleluya.

*Potstcommunio.*

**S**ancti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio : et sui roris intima aspersione fecundet. Per

Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

¶ *Missa de cruce.*

*Officium.*



Os autem gloriári  
opórtet in cruce  
Dómini nostri Jesu  
Christi : in quo est  
salus, vita, et resur-  
réctio nostra : per quem salváti et

liberáti sumus. *In tempore paschali*  
allelúya allelúya. *Psalmus.* Deus  
misereátur nostri et benedícat nobis :  
illúminet vultum suum super nos : et  
misereátur nostri. (*lxvj.*)

*Non dicitur Glória in excélsis Deo.*

*Oratio.*

**D**eus qui unigéniti Fílii tui  
Dómini nostri Jesu Christi  
precióso sáanguine vivífice crucis  
vexíllum sanctificáre voluísti : concéde

quésumus eos qui ejúsdem sancte  
cricis gaudent honóre : tua quoque  
úbique protectióne gaudére. Per  
éundem Dóminum nostrum Jesum.

*Ad Philippenses ij. [8.]*

**F**ratres. Christus factus est pro  
nobis obédiens usque ad mortem :  
mortem autem crucis. Propter quod  
et Deus exaltávit illum : et donávit illi  
Nomen quod est super omne nomen :

ut in nómine Jesu omne genu  
flectátur celéstium, terréstrium et  
infernórum. Et omnis lingua confi-  
teátur, quia Dóminus noster Jesus  
Christus : in glória est Dei Patris.

*Gradale.*

**C**hristus factus est pro nobis  
obédiens usque ad mortem :  
mortem autem crucis. *℣.* Propter  
quod et Deus exaltávit illum : et dedit  
illi Nomen quod est super omne  
nomen.

**A**llelúya. *℣.* Dulce lignum dulces

clavos : Dulcis ferens póndera : Que  
sola fuísti digna Sustinére regem  
celórum et Dóminum.

*In tempore paschali ij.*

**A**llelúya. *℣.* Nos autem gloriári  
opórtet in cruce Dómini nostri Jesu  
Christi.

*Sequentia.*

**S** Alve crux sancta arbor digna.  
Cujus robur preciosum  
mundi ferret talentum.

Ut hostis per lignum victor ligno  
revinceretur.

Quodque exortus mortis primis erat  
terrigenis paradiso propulsis.

Causa etiam vite foret cunctis  
Christi morte vere vivificandis.

Horrificum tu es semper signum  
inimicis crux sancta sevis.

Quam mors pavet : infernusque  
timet : que Christo suos reassignat<sup>25</sup>  
Cui laus sit in evum.

*Secundum Mattheum xx. [17.]*

**I**N illo tempore. Ascendens Jesus  
Hierosolimam assumpsit duodecim  
discipulos suos secreto : et ait  
illis, Ecce ascendimus Hierosolimam :  
et Filius hominis tradetur principibus

sacerdotum et scribis : et condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum : et flagellandum : et crucifigendum. Et tertia die resurget.

*Offertorium.*

**P**rotege Domine plebem tuam  
per signum sancte crucis ab  
omnibus insidiis inimicorum omnium  
: ut tibi gratam exhibeamus

servitutum : et acceptabile tibi fiat  
sacrificium nostrum. *In tempore  
paschali Alleluya.*

[92v.]

*Secreta.*

**H**ec oblatio quæsumus Domine ab  
omnibus nos purget offensis :  
que in ara crucis immolata etiam

totius mundi tulit offensas. Per  
Dominum.

*Prefatio.* Qui salutem. [925].

*Communio.*

**P**er lignum servi facti sumus : et  
per sanctam crucem liberati  
sumus : fructus arboris seduxit nos :

Filius Dei redemit nos alleluya. *et  
finiatur cum Alleluya. quodocunque  
dicitur nisi infra lxx. usque ad pascha.*

Missa de Cruce.

---

*Postcommunio.*

<b>A</b> Desto nobis Dómine Deus	perpétuis defēde subsidiis. Per
noster et quos sancte crucis	Dóminum nostrum.
letari facis honóre : ejus quoque	

¶ *Officium misse de quinque vulneribus*

*Domini nostri Jesu Christi.*

*Officium.*



Umiliávit semetípsum  
Dóminus noster Jesus  
Christus usque ad mor-  
tem : mortem autem  
crucis : propter quod et Deus exaltávit

illum : et donávit illi Nomen quod est  
super omne nomen. *Psalmus.* Mise-  
ricórdias Dómini in etérnum cantábo.  
(lxxxviiij.) [268].

*Et dicitur Glória in excélsis. nisi per adventum : et a lxx. usque ad pascha.*

*Oratio.*

**D**omine Jesu Christe, Fili Dei  
vivi : qui de celo ad terram de  
sinu Patris descendisti : et in ligno  
crucis quinque plagas sustinuisti : et  
sánguinem tuum precíosum in  
remissionem peccatórum nostrórum  
effudisti : te humíliter deprecámur ut

in die iudicii ad dexteram tuam  
státuti, a te audire mereámur, Veníte  
benedícti in regno Patris mei. Qui  
cum eódem Patre et Spíritu Sancto  
vivis et regnas Deus : per ómnia  
sécula seculórum.

¶ *Lectio Zacharie prophete. xij. [10.]*

**H**ec dicit Dóminus Deus.  
Effúndam de Spíritu meo super  
domum David, et super habitatóres  
Hierúsalem Spíritum grátie et  
miseratiónis : et aspicient in eum  
quem confíxerunt, et plangent eum  
planctu quasi super unigénitum : et  
dolébunt super eum ut doléri solet in  
morte primogéniti. In die illa erit  
planctus magnus in Hierúsalem : et

dicétur ei, Que sunt iste plage in  
médio mánuum tuárum ? Et dixit  
eis, His plagátus sum in domo eórum  
qui me diligébant. Frámea suscitáre  
super pastórem meum : et super  
virum coheréntem michi, dicit Dómi-  
nus exercítuum. Percútiam pastórem,  
et dispergéntur oves gregis. Dicit  
Dóminus exercítuum.



*Gradale.*

**I**Mpropérium expectávit cor  
meum et misériam : et sustínui  
qui simul contristarétur et non fuit,  
consolántem me quesívi : et non  
invéni. *℟.* Et déderant in escam  
meam fel et in siti mea potavérunt me  
acéto.

**A**llelúya. *℟.* Ave rex noster Jesu  
Christe : qui solus nostros erróres et  
reátus miserátus pertulísti, Patri  
obédiens ductus es ad crucem ut  
agnus mansuétus ad occisiónem, tibi  
glória, osánna, tibi summe laudis et  
honestátis chórea.

*Sequentia.*

**C**enam cum discípulis Christe  
celebrásti : et mortem apóstolis  
palam nunciásti et auctórem scéleris  
Judam demonstrásti : et egréssus  
prótinus órtulum intrásti.

Tunc prócidens Dómius humo se  
prostrávit : et transférrí cálicem a se  
postulávit : sed Patris arbítrio illud  
commendávit : mox et ecce sánguinis  
sudor emanávit.

Judas post hoc ósculum ori dedit  
Christi : ut quid, inquit Dóminus  
amíce venísti : nunquid tradis ósculo  
quem jam vendidísti ? assisténtes  
prótinus irruunt minístri.

Nox insómnis ítaque tota ducebátur :  
nulla prorsus réquies Jesu prestabátur :  
magistrórum ímpia plebs injuriátur :  
álapis et cólaphis ínnocens mactátur.

Dum Jesum erípere Pylátus conátur :  
Judeórum fúria magis inflammátur :  
et tumúltus pópuli ingens excitátur : et  
plebis vox íntonat ut crucifigátur.

Tráditur militibus, vínculis artátur :

úndique verbéribus corpus cruentátur  
caput regis glórie spinis coronátur :  
postque flexis génibus quisquis  
irritátur.

Ecce caro ténera pii Salvatóris : ad  
colúmnam néquiter coartátur loris :  
sic flagéllis céditur ímpii tortóris :  
quod émanant rívuli rúbei cruóris.

Post per urbis médium Jesu  
procedébat : et crucis patíbulum  
húmeris ferébat : ad fores et óstia  
pópulus fluébat, ejúsque confúsió  
ómnibus patébat.

Ad pudóris cúmulum Jesu denu-  
dátis et vento frigórique<sup>26</sup> nudus  
spoliávis, innocens cum ímpiis in  
cruce damnáris : et quasi dux scéleris  
in médio locáris.

[93r.]

Tensis ligno bráchiis manus  
conclavántur : córporis membra  
sínghla clavis<sup>27</sup> tractabántur : nervi  
vene símili modo laniántur : pedum  
plante étiam ferro conclavántur.

Fundunt rivos sánguinis membra

Salvatoris : properet huc anima tristis  
peccatoris : hauriat ut quippiam sacrati  
liquoris : quo frequenter liniat vulnera  
doloris.

Loquens Jesus postea sitio dicebat :  
et acetum protinus felle commiscebat :  
ac infusum spongie ori porrigebat :  
quod degustans paululum sumere  
nolebat.

Mi Jesu mirifice quid est quod  
agebas : tu de siti conquerens de cruce  
silebas : nunquid hanc doloribus  
magis sentiebas sed salutem potius  
nostram sitiebas.

Vocem promens ultimam Patrem  
invocasti : Spiritumque manibus ejus  
commendasti : et clamore valido  
tandem expirasti : et salutem omnium  
ita consummasti.

Nunc ego superbio tu humiliaris :  
ego culpas perpetuo tu pena gravaris :  
ego pomum mordeo tu felle potaris,  
ego peto mollia tu dure tractaris.

Demum cujus valeat mens vel  
lingua fari : quantum virgo creditur  
intus cruciari : dum concernit mortui  
latus vulnerari : atque Nati viscera  
lancea rimari.

Corpus cujus mortuum jam nil  
sentiebat : sed militis<sup>28</sup> lancea pectus  
conscindebat quam fixam in latore  
Filii videbat unde aqua sanguine  
mixta effluibat.

Ad hunc ergo propera fontem  
Redemptoris, ut fluentis quippiam  
haurias dulcoris : atque vite lavacrum  
precium cruoris : quo tui curatio  
profluat languoris.

*Tractus.*

**J**udica me Deus et discerne  
causam meam de gente non  
sancta : ab homine iniquo et doloso  
erue me.

Quia tu es, Deus fortitudo mea :  
quare me repulisti : et quare tristis  
incedo, dum affligit me inimicus.

Testes enim iniqui insurrexerunt  
adversum me : et mentita est iniquitas  
sibi.

Supra dorsum meum fabricaverunt

peccatores : prolongaverunt iniqui-  
tatem suam.

Ipsi vero consideraverunt et in-  
spexerunt me : diviserunt sibi ves-  
timenta mea : et super vestem meam  
miserunt sortem.

Foderunt manus meas et pedes  
meos et dinumeraverunt omnia ossa  
mea : et dolorem super dolorem  
vulneribus meis addiderunt.

¶ *Secundum Johannem xix. [28.]*

**I**N illo tēpore. Prēsciens Jesus quia jam ómnia consummáta erant de ipso : ut consummarétur scriptúra dixit, Sítio. Vas ergo erat pōsitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto ysópo circumponéntes obtulérunt ori ejus. Et cum accepisset Jesus acétum : dixit, Consummátum est. Et inclináto cēpite : trádidit spíritum. Judéi ergo quóniam parascéve erat ut non remanérent in cruce córpora sabbáto (erat enim magnus dies ille sabbáti)

rogavérunt Pylátum ut frangeréntur eórum crura : et tolleréntur. Venérunt ergo mílites : et primi quidem fregérunt crura : et altérius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent ut vidérunt eum jam mórtuum : non fregérunt ejus crura. Sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit : et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit testimónium perhíbuit : et verum est testimónium ejus.

*Offertorium.*

**I**Nsurrexérunt in me testes iníqui absque misericórdia : quesierunt me interficere et non pepercerunt in

fáciem meam spúere : et lánceis suis vulneravérunt et concússa sunt ómnia ossa mea.

*Secreta.*

**D**omine Jesu Christe qui pro mundi redemptióne crucis lignum ascendísti ut univérsum mundus qui in ténebris erat illuminarétur : illam quésumus lucem in ánimas

nostras et córpora infúnde : per quam ad etérnam lucem pervenire mereámur. Qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas.

*Prefatio.* Qui salútem. [925].

*Communio.*

**F**oderunt manus meas et pedes meos : et dinumravérunt ómnia ossa mea.

*Postcommunio.*

**D**omine Jesu Christe qui hora diéi sexta pro redemptióne

mundi crucis patíbulum ascendísti : et sánguinem tuum preciósum in

Missa de quinque vulneribus.

---

remissionem peccatorum nostrorum  
fudisti : te humiliter deprecamur : ut  
per tue passionis et vulnerum tuorum  
merita, post obitum nostrum paradisi

jānuam gaudenter mereamur introire.  
Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto  
vivas et regnas Deus.



¶ *Missa quotidiana de beate Maria virgine.*

*Ad Missam. Officium.*



Alve sancta parens e-  
nixa puérpera regem :  
Qui celum terrámque  
regit in sécula secu-

lórum. *In tempore paschali.* Allelúya.  
*Ps.* Benedícta tu in muliéribus : et  
benedíctus fructus ventris tui.

*Oratio.*

**C**oncède nos fámulos tuos qués-  
sumus Dómine Deus perpétua  
mentis et córporis salúte gaudére : et  
gloriósa beáte Maríe semper vírginis

intercessióne a presénti liberári tris-  
tícia et etérna pérfrui letícia. Per  
Dóminum nostrum Jesum Christum  
Fílium tuum.

¶ *Lectio libri Sapientie. Eccle. xxiiij. [14.]*

**A**B inítio et ante sécula creáta  
sum : et usque ad futúrum sécu-  
lum non désinam : et in habitatióne  
sancta coram ipso ministrávi. Et sic  
in Syon firmáta sum, et in civitate

sanctificáta simíliter requiévi : et in  
Hierúsalem potéstas mea. Et radicávi  
in pêpulo honorificáto : et in partes  
Dei mei heréditas illíus. Et in pleni-  
túdine sanctorum : deténtio mea.

*Gradale.*

**B**enedicta et venerabilis es virgo  
María que sine tactu pudóris  
invénta es mater Salvatóris. *℣.* Virgo

Dei génitrix quem totus non capit  
orbis in tua se clausit víscera factus  
homo.

¶ *Sciendum est quod si in tempore paschali fiat de festo annunciationis beate Marie in capella erit primum Allelúya, ℣. Per te Dei génitrix. et secundum Allelúya. ℣. Ave María.*

*Item in die assumptionis beate Marie, dominica infra octavas et in octava die, Allelúya. ℣. Hódie María virgo. in choro et in capella. Per octavas, Allelúya. ℣. Assúpta est.*

*Item in nativitate beate Marie, dominica infra octavas et in octava die, Allelúya. ℣. Nativitas glorióse. in choro et in capella. Et per octavas Allelúya, ℣. Per te Dei génitrix. in choro et in capella.*

¶ *Sciendum est quod a purificatione usque ad lxx. et a Deus ómnium. usque ad adventum Domini quando fit plenum servitium de sancta Maria quacunq̄ feria contingit semper dicitur sequens Allelúya. ℣. Salve virgo mater Dei templum Sancti Spíritus : que sola vocári digna meruísti regína celórum et dómina. nisi in tempore paschali, tunc enim semper erit primum Allelúya. ℣. Per te Dei génitrix nobis est vita pérdata data : que de celo suscepísti prolem et mundo genuísti Salvatórem. et secundum Allelúya. quando fit plenum servitium de resurrectione, sicut in alio festo cum regimine chori dicitur sequentia una de subscriptis.<sup>29</sup> In capella autem j. Allelúya. ℣. Per te Dei génitrix. : ij. vero Allelúya. diversimode dicitur per totam ebdomadam videlicet die dominica.*

**A**llelúya. *℣.* Obtine sacris  
précibus pia Dei génitrix véniam

delictórum tuis supplicibus.

¶ *Feria ij.*

**A**llelúya. *℣.* Post partum virgo  
invioláta permansísti : Dei

génitrix intercède pro nobis.

¶ *Feria iij.*

**A**llelúya. *℣.* Ora pro nobis pia  
virgo María unde Christus natus

est pro nobis peccatóribus ora.

¶ *Feria iiij.*

<b>A</b> llelúya. <i>℟.</i> Virtútes celi te venerántur virgo María, tuum unigénitum contemplátes ad	déteram Dei Patris in potestáte et majestáte magna.
--	--

¶ *Feria v.*

<b>A</b> llelúya. <i>℟.</i> Veni elécta mea et ponam te in thronum meum :	quia concupívit rex spéciem tuam.
--	-----------------------------------

¶ *Feria vj.*

**A**llelúya. *℟.* Salve virgo.

¶ *Sabbato.*

<b>A</b> llelúya. <i>℟.</i> Virga Jesse flóruit : virgo Deum et hóminem génuít	pacem Deus réddidit : in se recon- cilians ima summis.
---	---

[94r.] *Ista septem Allelúya. dicuntur in capella beate Marie a purificatione usque ad adventum Domini extra lxx. usque ad pascha : nisi quod extra tempus paschale in loco illius Allelúya. ℟. Post partum. dicitur Allelúya. ℟. Per te Dei génitrix. ut supra et exceptis prenomínatis.*

*Similiter in tempore paschali quando celebratur missa de sancta Maria sine nota vel post missam fit memoria tunc primum Allelúya. erit ℟. Per te Dei génitrix. et secundum Allelúya. ℟. Post partum.*

*In ebdomade paschali etiam dicitur gradale Benedicta et venerábilis. ad missam quotidianam de sancta Maria, usque ad sabbatum et non in ipso sabbato.*

*Sequentia dicitur per totum annum ad placitum.*

*Sequentia.*

<b>P</b> ost partum virgo María : Dei génitrix fecúnda grátia tonántis plena. Ave terrárum dómina, alma ce- lórum regína. Tibi éthera omnisque sanctórum turma deprómat symphónia.	Tellus flúmina atque silvárum némora resúltent voce sua. Salve parens ínclya felix puérpera. Per te lux et véritas mundo est édita. Tu Jesum papílla lactásti sacra : extans virgo feta mater intácta.
--	--

Unde nostris eya fave votis dómina,  
Christum interpéllans pro salúte  
humána.

Per te mater aboléri filiórum flagi-  
témus crímina.

Nosque omnes introdúci sempi-  
térna paradísi gáudia.

Quo perénnis vite perfruámur  
glória. [Amen.]<sup>30</sup>

¶ *Alia sequentia.*

**A**ve María grátia plena.  
Dóminus tecum, virgo sérena.

Benedícta tu in muliéribus.

Que peperísti pacem homínibus et  
ángelis glóriam.

Et benedíctus fructus ventris tui.

Qui coherédes ut essémus sui nos  
fecit per grátiam.

Per hoc autem ave : mundo tam  
suave contra carnis jura.

Genuísti prolem novum stella solem  
nova genitúra.

Tu parvi et magni leónis et agni  
Salvatóris Christi templum extitisti  
sed virgo intácta.

Tu floris et roris : panis et pastóris :  
vírginum regína : rosa sine spina  
génitrix es facta.

Tu cívitas Regis justície.

Tu mater es misericórdie.

Theóphilum refórmans grátie.

De lacu fecis et misérie.

Ergo maris stella verbi Dei cella et  
solis auróra.

Paradísi porta per quam lux est orta  
natum tuum ora.

Nos ut solvat a peccátis, et in regno  
claritátis quo lux lucet sédula

Cóllocet per sécula. Amen.

¶ *Alia sequentia.*

**L**etabúndus exúltet fidélis chorus  
allelúya.

Regem regum intácte profúdit  
thorus res miránda.

Angelus consílii natus est de vírgine  
sol de stella.

Sol occásus nésciens stella semper  
rútilans : semper clara.

Sicut sydus rádium profert virgo  
Fílium pari forma.

Neque sydus rádío : neque mater  
Fílio fit corrúpta.

Cedrus alta Líbani, conformátur  
ysópo valle nostra.

Verbum ens Altíssimi corporári  
passum est carne sumpta.

Esáyas cécinít, synagóga méminít :  
nunquam tamen désinít esse ceca.

Si non suis vátibus credat vel gen-  
tílibus Sibílinis vérsibus hec prédícta.



Infelix própera.  
Crede vel vétera.  
Cur damnáberis gens mísera.

Quem docet líttera.  
Natum consídera.  
Ipsum génuít puérpera.

[Alia] *Sequentia.*

**H**ac clara die turma féstiva dat  
precónia.

Maríam concrepándo symphónia  
nectárea.

Mundi dómina que es sola  
castíssima vírginum regína.

Salútis causa vite porta atque celi  
reférta grátia.

Nam ad illam sunt núncia olim  
facta angélica.

Ave María grátia Dei plena per  
sécula.

Muliérum pia ágmina intra semper  
benedícta.

Virgo et grávida mater intácta prole  
gloriósa.

Cui contra María hec reddit fámina. [94v.]

In me quómo do tua jam fient  
núncia.

Viri novi nullam certe cópulam.

Ex quo atque nata sum incorrúpta.

Diva missus ita reddit áffata.

Flatu sacro plena fies María.

Nova áfferens gáudia celo terre nati  
per exórdia.

Intra tui úteri claustra portas qui  
gubérnat etérna.

Omnia qui dat témpora pacífica.

**¶** *Alia sequentia.*

**A**ve mundi spes María : ave mitis :  
ave pia : ave plena grátia.

Ave virgo singuláris : que per  
rubum designóris, non passum  
incéndia.

Ave rosa speciósa : ave Jesse vírgula.  
Cujus fructus nostri luctus relaxávit<sup>31</sup>  
víncula.

Ave cujus víscera contra carnis  
fédera edidérunt Fílium.

Ave carens símili mundo diu flébili :  
reparásti gáudium.

Ave vírginum lucérna, per quam

fulsit lux supérna : his quos umbra  
ténuit.

Ave virgo de qua nasci et de cujus  
lacte pasci : Rex celórum vóluit.

Ave gemma celi luminárium.

Ave Sancti Spíritus sacrárium.

O quam mirábilis et quam laudábilis  
hec est virgínitas.

In qua per Spíritum facta  
Paráclytum fulsit fecúnditas.

O quam sancta quam seréna quam  
benígna quam aména esse virgo  
créditur.

Per quam sérvitus finítur : porta  
celi apéritur et líbertas rédditur.

O castitátis lílium : tuum precáre  
Fílium qui salus est humílium.

Ne nos pro nostro vício : in flébili

judício subjíciat supplício.

Sed nos tua sancta prece mundans a  
peccáti fece.

Cóllocet in lucis domo.

Amen dicat omnis homo.

*Alia sequentia.*

**H**Odiérne lux diei célebris in  
matris Dei agítur memória.

Decantémus in hac die semper  
vírginis Maríe laudes et precónia.

Omnis homo omni hora ipsam ora  
et implóra ejus patrocínia.

Psalle psalle nisu toto : cordis oris  
voce voto : ave plena grátia.

Ave dómina celórum : inexpléta viri  
thorum parens paris néscia.

Fecundáta sine viro genuísti modo<sup>32</sup>  
miro genitórem filia. Florens ortus  
austro flante porta clausa post et ante :  
via viris ínvia.

Fusa celi rore tellus : fusum  
Gedeónis vellus Deitátis plúvia.

Salve splendor firmaménti tu  
caliginóse menti : désuper irrádia.

Placa mare maris stella : ne invólvat  
nos procélla et tempésta óbvía.

*Secundum Lucam, xl. [27.]*

**I**N illo témpore. Loquente Jesu  
ad turbas extóllens vocem  
quedam múlier de turba dixit illi,  
Beátus venter qui te portávit : et

úbera que suxísti. At ille dixit, Quin  
immo. Beáti qui áudiunt verbum Dei  
: et custódiunt illud.

*Aliud in tempore paschali.*

*Secundum Johannem, xix. [25.]*

**I**N illo témpore. Stabant juxta  
crucem Jesu mater ejus et soror  
matris ejus María Cléophe : et María  
Magdaléne. Cum vidisset ergo Jesus  
matrem et discípulum stantem quem

diligébat : dixit matri suis, Múlier :  
ecce filius tuus. Deínde dixit dis-  
cípulo, Ecce mater tua. Et ex illa  
hora : accépit eam discípulus in sua.

*Offertorium.*

**F**elix namque es sacra virgo María  
et omni laude digníssima : quia

ex te ortus est sol justicie Christus  
Deus noster allelúya. *Et finiatur cum*

Missa quotidiana de beata Maria.

---

Allelúya. *quandocunque dicitur extra  
lxx. usque ad pascha, et nisi in vigilia*

*assumptionis tantum.*

*Secreta.*

**T**ua Dómine propiciatione et  
beate Maríe semper vírginis  
intercessióne ad perpétuam atque

preséntem hec oblátio nobis proficiat  
prosperitátem et pacem. Per Dómi-  
num nostrum Jesum Christum.

*Prefatio.* Et te in veneratióne. [925].

*Communio.*

**B**eata viscera Maríe vírginis que portavérunt etérni Patris Fílium.

*In tempore paschali.*

*Communio.*

**V**era fides géniti purgávit crímina  
mundi et tibi virgnitas invioláta

manet, allelúya allelúya.

*Postcommunio.*

**S**umptis Dómine salútis nostre  
subsídiis : da quésumus ejus  
patrocíniis nos ubíque prótegi : in

cujus veneratióne hec tue obtulímus  
majestáti. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum Fílium tuum.

[95r.]



¶ *Missa pro defunctis.*

*Officium.*



Equiem etérnam dona  
eis Dómine : et lux  
perpétua lucéat eis.  
*Psalmus.* Te decet

hymnus Deus in Sion : et tibi  
reddétur votum in Hierúsalem :  
exáudi oratióem meam ad te omnis  
caro véniet.

¶ *Nota quod ad quamlibet missam que pro corpore presenti celebretur cujuscunque fuerit : nisi fuerit pro rege vel regina vel alio magno domino quinque dicuntur orationes. Prima Oratio.* Omnípotens sempitérne Deus, misericórdiam tuam súplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui. [964]. *Secunda oratio.* Deus qui inter apostólicos. [965]. *Tertia oratio.* Deus vénie largítor. {966}. *Quarta oratio.* Omnípotens et miséricors Deus única salus. [967]. *Quinta oratio.* Fidélium. [967].

*Infra trigintale quinque dicuntur orationes. j. Deus cui próprium. minor.* [964]. *et cetera orationes ut supra pro corpore presenti.*

*Item in xiiij. die omnes orationes dicuntur ut infra trigintale.*

*In omnibus anniversariis quinque dicuntur orationes. j. Deus indulgentiárum.* [965]. *cetera ut supra pro corpore presenti.*

*Si missa pro corpore presenti vel anniversarium cujuscunque fuerit infra trigintale celebretur prima oratio pro corpore presenti vel anniversario dicitur, dicitur ij. pro trigintali oratio. Deus cui próprium. minor. [964]. iij. Deus qui inter apostólicos. [965]. iiij. Deus vénie. {966}. v. Fidélium Deus. [967].*

*Quandocunque corpus est presens et in anniversariis episcoporum et decanorum ecclesie postquam executor officii in inceptione misse altare thurificaverit, diaconus cum thuribulo accedat et corpus illud inferetro, vel in tumba incenset : similiter ante evangelium dum tractus canitur incensato prius altari : et tertio postquam sacerdos sacrificium ante lotionem loco suo dispositum thurificaverit idem diaconus thurificet sicut prius : non circumeundo corpus in feretro vel tumba : sed ex utraque parte utraque vice incipiendo a capite, semper cum thurificat. Nunquam enim thurificatur corpus ad Placébo. vel ad Dirige. secundum usum Sarum sed ad missam semper : nisi fuerit corpus regis, episcopi, comitis, vel baronis.*

*Quotidie ante diem sepulture pro corpore presenti, cujuscunque fuerit dicitur ista*

*Oratio. [Major.]<sup>33</sup>*

**D**eus cui próprium est miseréri  
semper et párcere : te súplices  
deprecámur pro ánima fámuli tui  
quam hódie de hoc século migráre  
jussisti : ut non tradas eam in manus  
inimíci : nec obliviscáris in finem :

sed júbeas illum ab ángelis sanctis  
súscipi : atque ad regiónem vivórum  
perdúci : ut quia in te sperávit et  
crédidit : sanctórum tuórum mereátur  
societáte letári. Per Dóminum  
nostrum.

*Pro corpore presenti et in anniversariis et trigintalibus episcoporum : et in die animarum tantum.*

*Epistola. j. Ad Thess. iiij. [12.]*

**F**Ratres. Nólumus vos ignoráre  
de dormiéntibus ut non  
contristémini : sicut et céteri qui  
spem non habent. Si enim crédimus  
quod Jesus mórtuus est et resurrexit :  
ita et Deus eos qui dormiérunt per  
Jesum addúcet cum eo. Hoc enim  
vobis dícimus in verbo Dómini : quia

nos qui vívimus qui resídui sumus in  
advéntu Dómini non preveniémus eos  
qui dormiérunt. Quóniam ipse  
Dóminus in jussu : et in voce  
archángeli : et in tuba Dei descéndet  
de celo et mórtui qui in Christo sunt  
resúrgent primi. Deínde nos qui  
vívimus qui derelínquimur : simul

rapiémur cum illis in núbibus óbviám  
Christo in áera : et sic semper cum

Dómino érimus. Itaque consolámini  
ínvicem in verbis istis.

[95v.] ¶ *In anniversariis et trigintalibus aliorum quorumlibet,*

*Lectio libri Machabeorum. ij. xij. capitulo. [34.]*

**I**N diébus illis, Vir fortíssimus  
Judas collatióne facta duódecim  
mília dragmas argénti misit Hiero-  
sólymam offérrí ea ibi pro peccátis  
mortuórum juste et religióse de  
resurrectiÓne cógitans. Nisi enim eos  
qui ceciderant resurrectúros speráret :

supérfluum viderétur et vanum oráre  
pro mórtuis. Et quia considerábat  
quod hi qui cum pietáte dormitiÓnem  
accéperant : óptimam habérent repó-  
sitam grátiam. Sancta ergo et salúbris  
est cogitátiÓ pro defúntis exoráre : ut  
a peccátis solvántur.

¶ *He due sequentes epistole leguntur per totum annum ad missam quotidianam pro defunctis : alternis vicibus per totam ebdomadam.*

*Lectio libri Apocalipsis Johannes apostoli. xiiij. [13.]*

**I**N diébus illis. Audívi vocem de  
celo : dicéntem michi, Scribe,  
beáti mórtui : qui in Dómino mori-

úntur. Amodo jam dicit Spíritus : ut  
requiéscant a labóribus suis. Opera  
enim illórum : sequúntur illos.

¶ *Ad Corinthios. j. xv. capitulo. [20.]*

**F**Ratres. Christus resurréxit a  
mórtuis primitios dormiéntium :  
quóniam quidem per hómínem mors :  
et per hómínem resurréctio mor-

tuórum. Et sicut in Adam omnes  
moriúntur : ita et in Christo omnes  
vivificabúntur. Unusquisque autem  
in suo órdine.

*In omnibus missis pro defunctis episcopis semper dicitur*

*Gradale.*

**S**i ámbulem in médio umbre mortis  
non timébo mala quóniam tu mecum

es Dómine. *Ÿ.* Virga tua et báculo  
tuus ipsa me consoláta sunt.

*Et idem gradale semper incipiatur et suus versus percantetur a tribus clericis de secunda forma, habitu non mutato ad caput defuncti si adest : sinautem ad gradum chori.*

*In omnibus aliis missis pro defunctis dicitur*

*Gradale.*

**R**equiem etérnam dona eis Dómi-  
ne : et lux perpétua luceat eis.  
℣. Anime eórum in bonis demorén-

tur : et semen eórum heréditet  
terram.

*Ita quod idem gradale incipiatur et suus versus percantetur a tribus clericis de secunda forma habitu non mutato quodocunque corpus adest presens ad caput defuncti tantum : sinautem ad gradum chori : et in die animarum in pulpito. Alias illud idem gradale Réquiem etérnam. et suus ℣. Anime eórum. quotienscunque cantantur in anniversariis et trigintatibus et in missis ferialibus pro defunctis post eorum inceptionem a toto choro interim sedente absque neuma in fine percantetur.*

*Quodocunque corpus adest et in omnibus missis pro episcopis defunctis dicatur Tractus Sicut cervus. ibidem ubi gradale a quattuor clericis de superiori gradu habitu non mutato, nequaquam ut in aliis tractibus alternatim sedentibus sed interim continue stantibus ad caput corporis quod presens fuerit : vel episcopi defuncti si adest : sinautem ad gradum chori quousque finierint ipsum tractum : ita quod omnes illi quattuor clerici simul primum ℣. incipiant quem duo ex parte chori principalis prosequantur. Sequens versus ab aliis duobus ex altera parte cantetur : et sic alternis vicibus singuli versus totius tractus ab illis quattuor dicuntur choro simul interim sedente : ita quidem ut omnes simul ipsum tractum terminent.*

*Tractus.*

**S**icut cervus desíderat ad fontes  
aquárum : ita desíderat ánima  
mea ad te Deus. ℣. Sitívit ánima  
mea ad Deum vivum : quando véniam

et apparébo ante fáciem Dei mei. ℣.  
Fuérunt michi lácryme mee panes die  
ac nocte dum dicitur michi per  
singulos dies ubi est Deus tuus.

¶ *In anniversariis et trigintatibus et in omnibus aliis missis pro defunctis dicitur sequens tractus a toto choro alternatim simul interim sedente cum cantu in gradali super hoc notato : nisi in die animarum tantum : tunc enim dicitur cum eodem cantu quo in dominica septuagesime a quattuor clericis da superiori gradu : habitu non mutato ad gradum chori supradicto modo scilicet quo tractus Sicut cervus desíderat.*

*Tractus.*

**D**E profúndis clamávi ad te  
Dómine : Dómine exáudi vo-

cem meam.  
Fiant aures tue intendéntes : in

Missa pro defunctis.

---

orationem servi tui.

[96r.] Si iniquitates observaveris Dómine,  
Dómine quis sustinébit.

Quia apud te propiciatio est : et  
propter legem tuam sustinui te  
Dómine.

¶ *Pro corpore presenti et in omnibus anniversariis et trigintalibus episcoporum et in die animarum similiter in dominicis et in ij. feriis quando dicitur missa ferialiter in capitulo vel alibi dicitur hoc evangelium.*

*Secundum Johannem. xj. [21.]*

**I**N illo témpore. Dixit Martha ad  
Jesum, Dómine si fuisses hic :  
frater meus non fuisset mórtuus. Sed  
et nunc scio quia quecúnque po-  
pósceris a Deo dabit tibi Deus. Dicit  
illi Jesus, Resúrget frater tuus. Dicit  
ei Martha, Scio quia resúrget in  
resurrectióne in novíssimo die. Dicit

ei Jesus, Ego sum resurréctio et vita.  
Qui credit in me : etiámsi mórtuus  
fúerit vivet. Et omnis qui vivit et  
credit in me, non moriétur in  
etérnum. Credis hoc ? Ait illi,  
Utique Dómine. Ego crédidi quia tu  
es Christus Fílius Dei : qui in hunc  
mundum venísti.

*Offertorium.*

**D**omine Jesu Christe Rex glórie,  
libera ánimas ómnium fidélium  
defunctorum de manu inférni et de  
profúndo lacu libera eas de ore leónis :  
ne absórbeat eas tártarus ne cadant in

obscura tenebrarum loca : sed sígnifer  
sanctus Míchael representet eas in  
lucem sanctam. Quam olim Abrahe  
promisísti et sémini ejus.

¶ *Nota quod si corpus adsit et in omnibus anniversariis et trigintalibus post ablutionem manuum incipiat sacerdos junctis manibus in medio altaris hoc modo. Hóstias et preces tibi Dómine offérimus.*

*Chorus.* Tu súscipe pro animábus illis quarum hódie memóriam ágimus fac eas  
Dómine de morte transíre ad vitam.

*Sacerdos privatim dicat* In spírítu humilitátis. *more solito.*

*Deinde dicat similiter privatim* Oráte fratres et soróres pro fidélibus defúntis.

*Et chorus respondeat cantando versum* Réquiem Etérnam dona eis Dómine : et lux  
perpétua lúceat eis. Quam olim Abrahe promisísti et sémini ejus.

*In omnibus vero aliis missis pro defunctis que ferialiter dicuntur : non dicitur nec*



Missa pro defunctis.

---

*quando ultimo ante pascha completur officium mortuorum : nec in die animarum dicitur.*

*In die animarum tantum.*

*Offertorium.*

**P**ie Deus : qui primum hó-  
minem ad etérnam glóriam re-  
vocásti : pastor bone qui ovem pér-  
ditam pio húmero ad ovíle reportásti :  
juste iudex dum véneris iudicáre líbera

de morte ánimas eórum quos  
redemísti ne tradas béstiis ánimas  
confiténtes tibi : ne derelínquas eas in  
finem.

¶ *Ante diem sepulture.*

*Secreta.*

**S**uscipe quésumus Dómine mi-  
séricors Pater oblatiónem quam  
tibi offérimus pro ánima fámuli tui *N.*  
quam hódie de carnáli corruptióne  
liberásti et concéde : ut ab ómnibus

humáne conditiónis excéssibus his  
remédiis expiétur : et in réquie  
sempitérna diem resurrectiόnis  
prestolétur. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum Fílium tuum.

¶ *In omnibus missis pro corpore presenti et in omnibus anniversariis et trigintalibus et in die animarum : et quando ultimo fit servitium mortuorum ante pascha dicitur hunc communio.*

**P**ro quorum memória corpus  
Christi súmitur dona eis Dó-  
mine réquiem sempitérnam. *℣.* Et  
lux perpétua lucéat eis. Pro quorum

memória sanguis Christi súmitur :  
dona eis Dómine réquiem  
sempitérnam.

*In omnibus aliis missis pro defunctis dicitur hec Communio.*

**L**ux etérna lucéat eis Dómine : cum sanctis tuis in etérnum quia pius es.

¶ *Ante diem sepulture.*

*Postcommunio.*

**P**resta quésumus omnípotens  
Deus : ut ánimam fámuli tui ab

ángelis lucis suscéptam in preparáta  
habitácula dedúci fácias beatórum.

Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

¶ *Nota quod in anniversariis simplicis cujuscunque canonici, vel cujuscunque alterius dicantur orationes que in anniversariis episcoporum. Epistola Vir fortíssimus Judas. Gradale Réquiem etérnam. [961]. Versus Anime eórum. a toto choro dicitur. Tractus De profúndis. [961]. similiter a toto choro cantetur. Evangelium vero ferialiter dicitur.*

¶ *Nota etiam quod quando dicitur missa mortuorum ferialiter gradale per cantorem inchoetur : et a toto choro interim sedente cum suo V̄. absque neuma percantetur : similiter et Tractus De profúndis. [961]. cum cantu abbreviato. Et sciendum est : quod hec missa que ferialiter in capitulo dicitur pro fidelibus defunctis : generaliter habet dici etiam ante pascha quando completur officium mortuorum, ac etiam in die animarum.*

¶ *In die sepulture cujuscunque corpus sit dicitur.*

*Oratio.*

[96v.]

Om̄nipotens sempitérne Deus misericórdiam tuam súplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui cujus córpori débitum sepúlturas officium persólvimus : in sinum

Abrahe patriárche tui júbeas collocári : ut cum dies agnitiónis tue advénerit : inter sanctos et eléctos tuos eum resuscitári precípias. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Secreta.*

Uscipe Dómine pro ánima fámuli tui hóstiam quam tu Deo Patri obtulísti pro nobis benígne : et quia causa hómínium descendísti de

celis : te redeúnte sanctórum tuórum mereátur adjúngi consórtiis. Per te Salvátor mundi. Qui vivis et regnas cum.

*Postcommunio.*

Resta quésumus Dómine ut ánima fámuli tui cui hódie officia humanitátis exhibémus : hiis

sacrificiis expiáta : salvatiónis tue perpétuo múnere gratulétur. Per Dóminum nostrum.

Missa pro defunctis.

---

¶ *In die trigintali.*

*Oratio.* [*Minor.*]<sup>34</sup>

**D**eus cui próprium est miseréri  
semper et párcere : propiciáre  
ánime fámuli tui et ómnia ejus

peccáta dimítte ut mortis vínculis  
absolútus : transíre mereátur ad  
vitam. Per Dóminum.

*Secreta.*

**I**ntuére quésumus omnípotens  
etérne Deus : et placátus  
suscípere dignáre hoc sacrificium  
quod tibi offérimus pro ánima fámuli

tui, et concéde illi pacem perpétuam  
et réquiem sempitérnam. Per  
Dóminum.

*Postcommunio.*

**P**rosit quésumus Dómine ánime  
fámuli tui divíni celebrátio  
sacraménti : ut ejus in quo sperávit et

crédidit etérnum cápiat te miseránte  
consórtium. Qui tecum vivit et  
regnat.

¶ *In anniversariis.*

*Oratio.*

**D**eus indulgentiárum Dómine :  
da ánime fámuli tui, cujus  
anniversárium depositiónis diem  
commemorámus : refrigerií sedem,

quiétis beatitúdinem : lúminis  
claritátem. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum Fílium.

*Secreta.*

**P**ropiciáre<sup>35</sup> Dómine suppli-  
caciónibus nostris pro ánima  
fámuli tui cujus hódie ánnua dies  
agitur, pro qua tibi offérimus

sacrificium laudis : ut eam sanctorum  
tuorum consórtio sociáre dignéris.  
Per Dóminum.

*Postcommunio.*

**P**resta quésumus Dómine ut  
ánima fámuli tui : cujus anniver-  
sárium depositiónis diem recólimus :

his purgáta sacrificiis indulgéntiam  
páriter et réquiem cápiat sempi-  
térmam. Per.

¶ *Pro episcopis.*

**D**eus qui inter apostólicos sacer-  
dotes fámulos tuos pontificáli  
fecísti dignitáte censéri : presta  
quésumus ut quorum vicem ad horam

*Oratio.*

gerébant in terris : eórum perpétuo  
consórtio leténtur in celis. Per  
Dóminum.

**A**fférimus tibi Dómine obla-  
tiónem servitútis pro animábus  
famulórum tuórum pontificum : sup-  
plicántes ut cum presúlibus apostólice

*Secreta.*

dignitátis quorum sunt exécuti  
officium habére mereántur sempitérne  
beatitúdinis portiónem. Per Dómi-  
num nostrum.

**P**roficiat Dómine quésumus  
animábus famulórum tuórum  
pontificum divíni celebrátio mystérii :  
ut quos in terris pósitos, hujus

*Postcommunio.*

múneris dispensatóres esse fecísti :  
inter eléctos antístites eos júbeas  
connumerári. Per Dóminum.

¶ *Pro fratribus et sororibus.*

**D**eus vénie largítor et humane  
salutis auctor : quésumus cle-  
méntiam tuam ut nostrárum con-  
gregatiónum fratres, et soróres : qui  
ex hoc século transiérunt : inter-

*Oratio.*

cedente beáta María semper vírgine :  
et beáto Michaéle archángelo cum  
óm nibus sanctis, ad perpétue bea-  
titúdinis consórtium perveníre con-  
cedas. Per.

**D**eus cujus misericórdie non est  
númerus : súscipe propícuis  
preces humilitátis nostre : et ani-  
mábus fratrum et sorórum nostrárum  
congregatiónum : quibus tui nóminis

*Secreta.*

dedísti confessiónem : per hec  
sacraménta salutis nostre cunctórum  
remissiónem tríbue peccatórum. Per  
Dóminum nostrum.

*Postcommunio.*

**R**esta quésumus omnipotens et miséricors Deus ut ánime fratrum et sorórum nostrárum congregatiónum pro quibus hoc sacrificium laudis tue obtulimus

majestáti : per hujus sacraménti virtútem a peccátis ómnibus expiáte lucis perpétue te miseránte recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.

☩ *Pro benefactoribus.*

[97r.]

*Oratio.*

**O**mnipotens et miséricors Deus única salus mortálium, te súpplíces exorámus pro animábus famulórum famularúmque tuárum : paréntum et benefactórum nostrórum : ut intercedénte beáta Dei genitríce

María : cum ómnibus sanctis tuis peccatórum eis largíri dignéris indulgéntiam, et in novíssimo die beáte resurrectiόνis letíciam. Per éundem Dóminum nostrum.

*Secreta.*

**S**anctífica quésumus Dómine hec fidélium ómnium vitália sacraménta, et presta : ut per ea, interveniénte beáta Dei genitríce María cum ómnibus sanctis tuis hoc ipsum proficiat animábus famulórum

famularúmque tuárum paréntum et benefactórum nostrórum, ut ab ómnibus vítiis expiáte pábulo vite reficiántur etérne. Per éundem Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Postcommunio.*

**V**ivíficet nos quésumus Dómine salutáre quo pasti sumus sacraméntum : et interveniénte beáta Dei genitríce María cum ómnibus sanctis tuis, concéde ut hoc ipsum proficiat animábus famulórum famu-

larúmque tuárum, paréntum et benefactórum nostrórum : ad promeréndam tue propiciatiónis grátiam et percipiéndam futúre resurrectiόνis glóriam sempitérnam. Per éundem Dóminum.

Missa pro defunctis.

---

¶ *Pro omnibus fidelibus defunctis.*

*Oratio.*

**F**idélium Deus ómnium cónditor  
et redémptor animábus ómnium  
fidélium defunctorum remissionem  
cunctorum tríbe peccatorum : ut

indulgéntiam quam optavérunt, piis  
supplicatióibus consequántur. Qui  
cum Deo Patre et Spíritu Sancto.

*Secreta.*

**H**ostias quésumus Dómine quas  
tibi pro animábus ómnium  
fidélium defunctorum offérimus pro-

piciátus inténde : ut quibus fidei  
Christiáne méritum contulísti dones  
et prémium. Per.

*Postcommnio.*

**A**nimábus quésumus Dómine  
ómnium fidélium defunctorum  
orátio proficiat supplicántium : ut eas  
et a peccátis ómnibus éxuas : et tue

redemptiόνis fácias esse partícipes.  
Qui cum Deo Patre in unitáte  
Spíritus Sancti Deus.

¶ *Unius Apostoli.*

*Officium.*



Ichi autem nimis honorati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum. *In tempore paschali*

Alleluya. *Ps.* Dómine probasti me et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

*Oratio.*

Exaudi Dómine pópulum tuum cum sancti apóstoli tui *N.* patrocínio supplicántem : ut tuo

semper auxilio múnitus : secúra tibi possit devotióne servíre. Per Dóminum nostrum Jesum.

¶ *Ad Ephesios ij. [19.]*

Frates. Jam non estis hóspites et ádvēne : sed estis cives sanctorum et doméstici Dei, superedificati super fundaméntum apóstolorum et prophetarum, ipso summo angulári

lapide Christo Jesu. In quo omnis redificatio constrúcta : crescit in templum sanctum in Dómino. In quo et vos coedificámini in tabernaculum Dei : in Spíritu Sancto.

*Gradale.*

Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est

principatus eorum. *V.* Dinumerábo eos et super arénam multiplicabúntur.

*Sequentia.*

Clare sanctorum senátrus apóstolorum, princeps orbis terrarum rectórque regnórum.

Ecclesiárum mores et vitam moderáre.

Qui per doctrínam tuam fidéles sunt ubique.

Antióchus et Remus concédunt tibi Petre regni sólium.

Tyránnidem tu Paule Alexándrinam invasisti Gréciam.

Ethíopes hórridos Matthée, agnélli véllere.

Qui máculas nésciat áliquas véstisti cándido.

Thoma, Bartholomé, Johánnes, Philíppe, Symon.

Jacobíque páriles, Andréa Thadée

Dei.

Bellatores ínclyti.

En vos óriens et óccidens.

Immo teres mundi círculus.

Se patres habére gáudent et exspéc-

tant júdices.

Et idcírco mundus omnis laudes  
vobis et honórem sanctis débitum  
supplex impéndit.

¶ *Infra septuagesimam.*

*Tractus.*

**B**Eatus vir qui timet Dóminum :  
in mandátis ejus cupit nimis.  
V. Potens in terra erit semen ejus :

generátio rectórum benedicétur. V.  
Glória et divítie in domo ejus : et [97v.]  
justícia ejus manet in séculum séculi.

¶ *Secundum Jobannem. xv. [17.]*

**I**N illo témpore. Dixit Jesus  
discípulis suis, Hec mando vobis :  
ut diligátis ínvicem. Si mundus vos  
odit, scitóte quia me priórem vobis  
ódio hábuit. Si de mundo fuissétis :  
mundus quod suum erat dilígeret.  
Quia vero de mundo non estis : sed  
ego elégi vos de mundo, proptérea  
odit vos mundus. Mementóte ser-  
mónis rnei quem ego dixi vobis : Non  
est servus major dómíno suo. Si me  
persecúti sunt : et vos persecúentur.  
Si sermónem meum servavérunt : et  
vestrum servábunt. Sed hec ómnia

fácient vobis propter nomen meum :  
quia nésciunt eum qui misit me. Si  
non veníssem et locútus fuíssem eis :  
peccátum non habérent. Nunc autem  
excusatióne non habent de peccáto  
suo. Qui me odit : et patrem meum  
odit. Si ópera non fecíssem in eis que  
nemo álius fecit : peccátum non  
habérent. Nunc autem et vidérunt et  
odérunt : et me et Patrem meum.  
Sed ut adimpleátur sermo qui in lege  
eórum scriptus est : quia odio  
habuérunt me gratis.

*Offertorium.*

**I**N omnem terram exívit sonus  
eórum : et in fines orbis terre

verba eórum. *In tempore paschali*  
Allelúya.

*Secreta.*

**B**Eáti apóstoli tui N. Dómine  
solénnia recenséntes, quésumus

ut ejus auxílio tua beneficia capiámus,  
pro quo tibi hóstias laudis offerímus.



Missa de apostolis.

---

Per Dóminum.

*Prefatio.* Et te Domine. [926].

*Communio.*

**V**Os qui secúti estis me : sedébitis  
super sedes : judicántes duó-

decim tribus Israel dicit Dóminus. *In  
tempore paschali, Allelúya allelúya.*

*Postcommunio.*

**T**Uére nos miséricors Deus per  
hec sancta que sumpsimus : et  
beáti apóstoli tui *N.* cujus natalícia

celebrámus semper gubérna presídiis.  
Per Dóminum.

¶ *In natali unius Martyris.*

*Officium.*



Etábitur justus in  
Dómino et sperábit in  
eo : et laudabúntur  
omnes recti corde. *In*

*tempore paschali, Allelúya allelúya. Ps.*  
Exáudi Deus oratióem meam cum  
déprecor : a timóre inimíci éripe  
ánimam meam.

*Oratio.*

**A**Desto Dómine supplicatióibus  
nostris : et intercessióe beáti *N.*  
mártyris tui, perpétuam nobis mise-

ricórdiam benígnus impénde. Per  
Dóminum nostrum Jesum Christum  
Fílium.

*Lectio libri Sapientie. Ecclesiastici xiiij. (22.) et xv. (3-4, 6.)*

**B**Eátus vir qui in sapiéntia  
morábitur : et qui in justícia  
meditábitur, et in sensu cogitábit  
circumspectiÓNem Dei. Cibávit illum  
pane vite et intelléctus : et aqua  
sapiéntie salutáris potávit illum. Et

firmábitur in illo et non flectétur : et  
continébit illum et non confundétur :  
et exaltábit illum apud próximos suos.  
Et nómine eterno hereditábit illum :  
Dóminus Deus noster.

*Gradale.*

**P**osuísti Dómine super caput ejus  
corónam de lápide precíoso. *V.*  
Desidérium ánime ejus tribuísti ei : et  
voluntáte labiórum ejus non fraudásti

eum.

**A**llelúya. *Versus.* Posuísti Dómine  
super caput ejus corónam de lápide  
precíoso.

*Sequentia.*

**O**Rgánicis canámus módulis nunc  
*N.* solénnia.

Omnígenis Dómino vóciBUS red-  
déntes odas débitas.

Qui in suis sanctis mirábilis nimis  
múltiplici virtútum flore eósdem  
décorat ac mirífice adórnat.

Nam et in ipsis quasi in quibúsdam  
músicis instruméntis dígito próprio  
fides ágitat fides virtútum sonóras.

Has numeróse percúrrens síngulas.

Permíscet síngulis diatéssaron mel-  
lífluam melódiam.

Quam génerat virtútum mater illa.

Que áliis decénter compósita reddit  
suavem simphóniam.

Qua sine cuncta.  
Fiunt díssona,  
Necnon et frívola.

Qua cum ómnia  
Fiunt cónsona,  
Necnon utília.

Qua justí bene.

Morántur rite.

Peténtes excélsa poli sýdera,  
Alágres decántant nova cántica in  
cýthara treícia.<sup>36</sup>

Quorum agéntes festa consórtia  
mereámur in celésti pátria.

*Tractus.*

**D**esidérium ánime ejus tribuísti  
ei et voluntáte labiórú ejus  
non fraudásti eum. *℣.* Quóniam

preveniísti eum in benedictióne  
dulcedínis. *℣.* Posuísti super caput  
ejus corónam de lápide precíoso.

*Secundum Johannem, xij. [24.]*

[98r.] **I**n illo témpore. Dixit Jesus  
discípulis suis, Amen amen dico  
vobis : nisi granum fruménti cadens  
in terram mórtuum fúerit : ipsum  
solum manet. Si autem mórtuum  
fúerit : multum fructum affert. Qui  
amat ánimam suam : perdet eam. Et

qui odit ánimam suam in hoc mundo :  
in vitam etérnam custódit eam. Si  
quis michi ministrat : me sequáur.  
Et ubi sum ego : illic et mínister  
meus erit. Si quis michi ministráverit :  
honorificábit eum Pater meus : qui  
est in celis.

*Offertorium.*

**I**nvirtúte tua Dómine letábitur  
justus et super salutáre tuum  
exsultábit veheménter : desidérium

ánima ejus tribuísti ei. *In tempore  
paschali, Allelúya allelúya.*

*Secreta.*

**R**eséntia múnere Dómine qué-  
sumus seréna pietáte intuére ut  
Sancti Spíritus perfundántur bene-  
dictióne : quátenus illam valídius in

nostris córdibus dilectiónem infún-  
dant : per quam sanctus *N.* martyr  
tuus ómnia córporis torménta devícit.  
Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Missa de uno martyre.

---

*Communio.*

<p><b>Q</b>ui vult venire post me abneget semetipsum : et tollat crucem</p>		<p>suam et sequatur me.</p>
---	--	-----------------------------

*Postcommunio.*

<p><b>Q</b>uos refecisti Domine celesti mysterio ab omnibus quesumus propiciatus absolve delictis ut inter-</p>		<p>cedente beato N. martyre tuo divino munere purificatis mentibus perfru- amur. Per Dominum.</p>
---	--	---

¶ *Missa plurimorum martyrum.*

*Officium.*

**N**ntret in conspéctu tuo  
Domine gémitus com-  
peditórum, redde vicinis  
nostris séptuplum in  
sinu eórum : víndica sánguinem sanc-

tórum tuórum qui effúsus est. *Ps.*  
Deus venérunt gentes in hereditátem  
tuam : polluérunt templum sanctum  
tuum : posuérunt Hierúsalem in  
pomórum custódiam.

*Oratio.*

**M**nípotens sempitérne Deus :  
da nobis sanctórum mártýrum  
tuórum *N.* et *N.* ita digne mérita

venerári : quátenus et ab instántibus  
liberémur perículis : et digni effici-  
ámur gáudiis sempitérnis. *Per.*

*Ad Hebreos. xj. [33.]*

**S**ancti per fidem vicérunt regna :  
operáti sunt justítiam, adépti  
sunt repromissiónes. Obturavérunt  
ora leónum : extinxérunt ímpetum  
ignis, effugárum áciem gládii : con-  
valuérunt de infirmitáte : fortes facti  
sunt in bello. Castra vertérunt exte-  
rórum : accepérunt muliéres de  
resurrectióne mórtuos suos. Alii  
autem disténti sunt, non suscipiéntes  
redemptiónem : ut meliorem inve-  
nírent resurrectiónem. Alii vero

ludíbria et vérbera expérti : insuper et  
víncula et cárceres. Lapidáti sunt,  
secti sunt, tentáti sunt : in occisióne  
gládii mórtui sunt. Circuierunt in  
melótis : et in péllibus caprínis.  
Egéntes, angustáti, afflícti : quibus  
dignus non erat mundus. In soli-  
tudínibus errántes : et in móntibus et  
spelúncis : et in cavérnis terre. Et hi  
omnes testimónio fidei probáti  
invénti sunt. In Christo Jesu :  
Dómino nostro.

*Gradale.*

**G**loriósus Deus in sanctis :  
mirábilis in majestáte faciens  
prodígia. *℟.* Déxtera tua Dómine  
glorificáta est in virtúte : déxtera

manus tua confrégit inímicum.

**Allelúya.** *Versus.* Sancti tui Dómine  
benedicent te : glóriam regni tui  
dicent allelúya.

*Sequentia.*

**C**ce pulchra canórum résonet  
voce allelúya.

Intimans réquiem cívibus ínclytam.

Felícia nímium angelórum rútilant  
ágmina.

Sancte Sancte Sancte Christo  
ovánter proclamántia.

Sublími in cathédra apostolórum  
sede fúlghida lampáda tribus et linguas  
judicántia.

Omnia ut stércora reputárunť  
túmida propter hoc émicant velut  
stella firmamánti clara.

Stolis cándidis mártýrum  
adornántur colla.

Hi sunt mílites qui mundi  
preliárunť bella.

Corónis albis coronántur sancti.

Qui confiténtes credidérunt juste.

Vel fide certántes.

Respuérunt vana.

Modo habent celéstia regna.

In qua triúmphant dicéntes óptime.

Sive cánticant psalléntes cármina.

Arte laudífua.

Voce dulcísona.

Regi Christo submitténtes colla.

Multum recitáris laude spirítuum.

Atque jubiláris in choro vírginum.

Alleluya.

Dulcímoda.

Te decántant pudícum ágmina.

Laus tibi sit Christe semper per  
ómnia.

Qui opituláris cantántes tália.

Voce pulchra.

Alleluya.

Et nos ipsi proclamémus una.

Da nobis etérna regna flórida.

Ubi cantémus omnes allelúya.

**¶** *Secundum Lucam. vj. [20.]*

[98v.] **I**N illo témpore. Elevátis Jesus  
Óculis in discípulos suos dicébat,  
Beáti páuperes : quia vestrum est  
regnum Dei. Beáti qui nunc esúritis :  
quia saturabímmini. Beáti qui nunc  
fletis : quia ridébitis. Beáti éritis cum

vos odérint hómines : et cum  
separáverint vos et exprobráverint et  
ejécerint nomen vestrum tanquam  
malum propter Fílium hóminis.  
Gaudéte in illa die et exultáte : ecce  
enim merces vestra multa est in Celo.

*Offertorium.*

**M**irábilis Deus in sanctis suis :  
Deus Israel ipse dabit virtútem

et fortitúdinem plebi sue benedíctus  
Deus allelúya.

Missa plurimorum martyrum.

---

*Secreta.*

**S**uscipe quésumus Dómine  
múnera pópuli tui pro festivi-  
táte sanctórum mártýrum tuórum *N.*

et *N.* et sincéro nos corde fac eórum  
natalíciis interésse. Per Dóminum  
nostrum.

*Communio.*

**S**Audéte justí in Dómino allelúya : rectos decet collaudátio allelúya.

*Postcommunio.*

**S**acramentórum tuórum Dómi-  
ne participatióne letántes sup-  
pliciter exorámus : ut quorum mérita

celebráre condónas : eórum nos fácias  
imitári constántiam. Per Dóminum  
nostrum.

¶ *De quocunque confessore.*

*Officium.*



S justi meditabitur  
sapiéntiam : et lingua  
ejus loquétur judícium,  
lex Dei ejus in corde

ipsíus. *Psalmus.* Noli emulári in  
malignántibus neque zeláveris faci-  
éntes iniquitátem. Glória Patri et  
Fílio.

*Oratio.*

**A**Desto Dómine précibus nostris  
quas in sancti *N.* confessóris tui  
solennitáte deférimus : ut qui nostre

justítie fidúciam non habémus : ejus  
qui tibi plácuit méritis et précibus  
adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

*Lectio libri Sapientie x. [Io.]*

**I**ustum dedúxit Dóminus per vias  
rectas : et osténdit illi regnum  
Dei : et dedit illi sciéntiam sanctórum :  
honestávit illum in labóribus : et  
complévit labóres illíus. In fraude  
circunveniéntium illi áffuit : et  
honéstum fecit illum. Custodívit  
eum ab inimícis : et a seductóribus  
tutávit illum : et certámen forte dedit  
illi ut vínceret et sciret quóniam  
ómniium poténtior est sapiéntia. Hec

vénditum justum non derelíquit : sed  
a peccatóribus liberávit eum.  
Descendítque cum illo in fóveam : et  
in vínculis non derelíquit illum donec  
afférret illi sceptrum regni, et  
poténtiam advérsus eos qui eum  
deprimébant. Et mendáces osténdit  
qui maculáverunt illum : et dedit illi  
claritátem etérnam Dóminus Deus  
noster.

*Gradale.*

**O**S justi meditabitur sapiéntiam :  
et lingua ejus loquétur judí-  
cium. *V.* Lex Dei ejus in corde ipsíus  
et non supplantabúntur gressus ejus.

**A**llelúya. *V.* Posui adjutórium super  
poténtem : et exaltávi eléctum de  
plebe mea.

*Sequentia.*

**A**dest nobis dies alma : et magno  
gáudio plena.

In qua sancta Deo grata congáudet  
ecclésia.



Hódie celéstis letátur turma : que glóriam cantat in excélsis voce dulcisona cum simphónia.

Hódie polórum sancta ágmina colláudant regem Deum nostrum natum ex vírgine sancta María.

Ave ínclyte presul *N.* flos pulchérime.

Tu vestígia Christi secútus es fide devóta.

Etérni regis adéptus es regna.

Jam gratuláris in domo súpera pössidens sedes almas.

Te postulámus et póscimus una.

Adjúvent tua sancta suffrágia fragílem vitam nostram.

O beate.

O sancte *N.*

Laus tibi in glória.

O beáte.

O sancto *N.*

Pro nobis súpplia.

Ut una mereámur sancta celórum templa.

Possídere leti cernéntes alma gáudia que sunt plena.

Sit Deo laus honórque et jubiláto casta.

Qui regnat per ómnia seculórum sécula.

Amen dicant ómnia.

*Tractus.*

**D**esidérium ánime ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. *℣.* Quóniam

preveniásti eum in benedictióne dulcedínis. *℣.* Posuísti super caput ejus corónam de lápide precíoso.

**¶** *Secundum Marcum. xiiij. [33.]*

**I**N illo témpore. Dixit Jesus discíplulis suis, Vidéte vigiláte et oráte. Nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui péregre proféctus relíquit domum suam : et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis : et janitóri precépit ut vígilet. Vigiláte

ergo. Nescitis enim quando dóminus domus véniat : sero, an média nocte, an gallicántu, an mane. Ne cum vénerit repénte : invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico : ómnibus dico vigiláte. [99r.]

*Offertorium.*

**D**esidérium ánime ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum : posuísti in cápite

ejus corónam de lápide precíoso. *In tempore paschali* Allelúya allelúya.

Missa de quocunque confessore.

---

*Secreta.*

**S**uscipe, Dómine, sacrificium  
placatiónis et laudis quod nos  
interveniēte beáto *N.* confessóre tuo

perducat ad véniam : et in perpétuam  
gratiárum constituat actiōnem. Per  
Dóminum.

*Communio.*

**F**idélis servus et prudens : quem  
constituit dóminus super  
famíliam suam ut det illis in témpore

trítici mensúram. *In tempore paschali*  
Allelúya allelúya.

*Postcommunio.*

**R**esta quésumus omnipotens  
Deus : ut cujus festivitáte votíva  
sunt sacraménta : ejus salutária nobis

intercessióne reddántur. Per  
Dóminum.

¶ *Missa de sancto Rocho.*

*Officium.*



Ongratulámini omnes  
in Dómino diem beáti  
Rochi commemorán-  
tes : in cujus com-  
memoratióne letátur ecclésia, plebs  
exsúltat : et ángeli dúlcia dant

melódia : dicétes : Glória tibi Dó-  
mine : qui talem virum in con-  
fessórem elegisti. *Ps.* Beáti imma-  
culáti in via : qui ámbulant in lege  
Dómini. Glória Patri et Fílio.

*Oratio.*

**D**eus qui es gloriósus in glória  
sanctorum : et cunctis ad eorum  
patrocínia confugiéntibus sue petiti-  
ónis salutárem prestas effectum<sup>37</sup> :  
concede plebi tuas ut intercedénte  
beáto Rocho confessóre tuo que in

ejus celebritáte se devóta exhibet,  
languóre epidímie quam in suo  
cópore pro tui nóminis glória passus  
est, sit líbera : et tuo nómini semper  
sit devóta. Per.

*Epistola. Ij. ad Thimotheum ij. [8.]*

**C**haríssime, Memor esto Jesum  
Christum resurrexisse a mórtuis  
ex sémine David secúndum evan-  
gélium meum in quo labóro usque ad  
víncula : quasi male óperans : sed  
verbum Dei non est alligátum. Ideo  
ómnia sustíneo propter eléctos : ut et  
ipsi salutem consequántur : que est  
cum Christo Jesu in glória celésti.  
Tu autem assecútus es meam

doctrínam, institutióne, propósi-  
tum, fidem, longanimitátem, dilec-  
tióne, paciéntiam, persecutióne,  
passiões : quales michi facta sunt  
Antióchie, Ycónio, Listris : quales  
persecutiões sustínui : et ex ómnibus  
me erípuit Dóminus : et omnes qui  
pie volunt vívere in Christo Jesu  
persecutióne patiéntur.

*Gradale.*

**T**ibi pio sancto Rocho honor sit  
et glória : et deprecántes apud  
celéste numen, tuis précibus a morbo  
epydímie salvos nos redde. *℟.* Fac

quésumus beáte Conféssor Christi :  
ut apud Deum preces nostre non sint  
vane : et nobis áeris tempériem  
concede : ut in fine tecum in celis

congratulémur.

Allelúya. *℟*. O beáte confessor Roche :  
quam magna apud Deum sunt mérita

tua : quibus crédimus nos a morbo  
epydímie posse liberári : et éeris  
tempériem concédi. Allelúya.

*Evangelium.* Vidéte vigiláte. *in missa de quocunq; confessore.*<sup>38</sup>

*Offertorium.*

**T**E beátum Rochum Christi con-  
fessórem exorátum fácimus : et  
preces ad te patrem nostrum

dirígimus : ut tua intercessióne a  
languóribus epydímie salvémur et  
áeris tempériem potiámur.

*Prefatio.*

**E**Térne Deus. Qui imminéntem  
Nínivitis intéritum sola miseri-  
córdia revocásti : quibus ut propug-  
nátor exsisteres cum oratiónis  
peniténtia prestitísti : et huic pópulo  
tuo ante conspéctum glórie tue  
prostráto orándi tríbue puritátem : et

quem desiderat presta liberatiónis  
efféctum, ut quos Unigéniti tui  
precióso sáanguine redemísti non  
patiáris misericórdia tua mortalitátis  
interíre supplicio. Per Christum  
Dóminum nostrum.

*Secreta.*

**P**arce nobis Dómine : et flagélla  
ire tue que peccáta nostra  
meréntur : precibus et méritis bea-

tíssimi confessóris tui Rochi : a nobis  
misericórditer avérte. Per Dóminum  
nostrum.

*Communio.*

**Q**uam magníficum est nomen  
tuum beáte Roche : qui tuis  
intercessiónibus multitudinem langu-  
éntium nosti sanare : et nomen tuum

gloriósum commemorántibus ómni-  
bus te propícium exhibere : veni et  
salva nos a morbo epydímie et áeris  
tempériem nobis concéde.

*Postcommunio.*

**P**resta quésumus omnipotens  
Deus : ut qui celéstia sacraménta  
percépimus : intercedénte beáto  
Rocho confessóre tuo per hec contra

ómnia advérsa muniámur et ab omni  
morbo et peste : ac a subitánea morte [99v.]  
liberémur. Per Dóminum nostrum.

¶ *In natali unius virginis et martyris.*

*Officium.*



Conquerebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar : et me-

ditabar in mandatis tuis que dilexi nimis. *Psalmus.* Beati immaculati in via : qui ambulat in lege Domini.

*Oratio.*

**C**œaudi nos Deus salutaris noster : ut sicut de beate *N.* virginis et martyris tue festivitàte gaudemus, ita

pie devotiōnis erudiāmur affēctu. Per Dōminum nostrum Jesum Christum.

*Lectio libri Sapientie. Ecclesiastici lj. [13.]*

**D**omine Deus meus exaltasti super terram habitatiōnem meam : et pro morte defluenti deprecata sum. Invocavi Dōminum, Patrem Dōmini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiōnis mee : et in tēpore superbōrum sine

adjutōrio. Laudābo nomen tuum assidue : et collaudābo illud in confessiōne : et exaudita est oratio mea. Liberasti me de perditione : et eripuisti me de tēpore iniquo. Propterea confitebor et laudem dicam nōmini tuo : Dōmine Deus meus.

*Gradale.*

**D**ilexisti justiciam et odisti iniquitatem. *℣.* Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo leticie.

**Alleluya.** *℣.* Emulor enim vos Dei emulatiōne despōndi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

*Sequentia.*

**V**irginis venerandas de número sapientum festa celebramus socii.

Filie matris supérni Regis sacrosante Marie.

Quam sibi in sororem Dei adoptavit Filius.

Hec corpus suum domuit freno jejunii.

Et luxuriam secuit ense agonie.

Hec contra cunctos hostis dimicavit impetus.

Et hostem cruentum freta Christi dextra straverat.

Hec sponsum ab aula celi sese  
invisentem alácris.

Corde jocúndo secúta ejus est  
ingréssa thálamum.

Tuque jam dúlcibus plena delíciis.

Christo misérias nostras suggérito.

Nobis consolatiónem precándo.

*Tractus.*

**D**iffúsa est grátia in lábiis tuis :  
proptérea benedíxit te Deus in  
etérnum. *℟.* Spécie tua et pul-  
chritúdi-  
ne tua : inténde prospere  
procéde et regna. *℣.* Propter veritá-

tem et mansuetúdinem et justíciam :  
et dedúcet te mirabíliter délixtera tua.

*℟.* Audi filia et vide et inclína aurem  
tuam : quia concupívit rex spécíem  
tuam.

¶ *Secundum Mattheum. xiiij. [44.]*

**I**n illo témpore. Dixit Jesus  
discípulis suis parábolam hanc,  
Símile est regnum celórum thesáuro  
abscóndito in agro : quem qui invénit  
homo abscóndit et pre gáudio illíus  
vadit : et vendit univér-  
sa que habet, et emit agrum illum.  
Iterum símile est regnum celórum  
hómini negociatóri queré-  
nti bonas margarítas. Invénta  
autem una preciósa margaríta : ábiit  
et véndidit ómnia que hábuit et emit  
eam. Iterum símile est regnum  
celórum ságene misse in mare : et ex  
omni génere píscium congregánti.

Quam cum impléta esset educéntes et  
secus littus sedéntes : elegérunt bonos  
in vasa, malos autem foras misérunt.  
Sic erit in consummatione séculi.  
Exíbunt ángeli : et separábunt malos  
de médio justórum. Et mittent eos in  
camínium ignis : ibi erit fletus et  
stridor déntium. Intellexístis hec  
ómnia ? Dicunt ei, Etiam. Ait illis.  
Ideo omnis scriba doctus in regno  
celórum símilis est hómini patri-  
fámílias : qui profert de thesáuro suo  
nova et vetera.

*Offertorium.*

**F**illie regum in honóre tuo ástitit  
regína a dextris tuis in véstitu

deauráto circumdáta varietáte.

*Secreta.*

**H**ostia Dómine quas tibi offé-  
rimus propícíus réspice : et

intercedénte beáta *N.* vírgine tua et  
martyre víncula peccatórum

Missa unius virginis.

---

nostrorum absolue. Per Dóminum | nostrum.

*Communio.*

**D**iffusa est grátia in lábiis tuis : | etérnum. *In tempore paschali*, Allelúya  
proptérea benedíxit te Deus in | allelúya.

*Postcommunio.*

**P**láceant tibi, quésumus, misé- | grátiam nobis concílient, et etérne  
ricors Deus, nostre servitútis | felicitátis gáudium submínistrent.  
obséquia : ut mystéria sacrosáncta que | Per Dóminum nostrum Jesum  
súmpsimus, intercedénte beáta *N.* | Christum Fílium tuum. Qui tecum  
vírgine tua et mártire, et tuam | vivit et regnat in unitáte.

[100r.]

## ¶ *Missa de nomine Jesu.*

*Officium.*



**N**o nomine Jesu omne  
genus flectatur celestium  
terrestrium et infernorum :  
et omnis lingua confiteatur,  
quia Dominus

Jesus Christus in gloria est Dei Patris.  
*Ps.* Laudate Dominum quoniam  
bonus Dominus : psallite nomini ejus  
quoniam suave.

*Oratio.*

**D**eus qui gloriosissimum nomen  
Domini nostri Jesu Christi  
unigeniti Filii tui fecisti fidelibus tuis  
summo suavitatis affectu amabile : et  
malignis spiritibus tremendum atque  
terribile : concede propicius ut omnes

qui hoc nomen Jesu devote venerantur  
in terris, sancte consolationis  
dulcedinem in presenti percipiant, et  
in futuro gaudium exultationis et  
interminabilis jubilacionis obtineant.  
Per eundem Dominum nostrum.

*Lectio Actuum apostolorum. iij. [8.]*

**I**n diebus illis. Petrus impletus  
Spiritu Sancto dixit, Principes  
populi : et seniores audite. Si nos  
hodie dijudicamur in beneficio  
hominis infirmi : in quo iste salvus  
factus est. Notum sit omnibus vobis  
et omni plebi Israelii : quia in nomine  
Domini nostri Jesu Christi Nazareni

quem vos crucifixistis, quem Deus  
suscitavit a mortuis : in hoc iste astat  
coram vobis sanus. Hic est lapis qui  
reprobatus est a vobis edificantibus :  
hic factus est in caput anguli. Et non  
est in aliquo alio salus. Nec est aliud  
nomen sub celo datum hominibus :  
in quo oporteat nos salvos fieri.

*Gradale.*

**C**onstituit Deus Pater ad dexteram  
suam Jesum Christum in  
celstibus supra omnem principatum  
et potestatem et virtutem et  
dominationem et omne nomen quod  
nominatur : non solum in hoc seculo,  
sed etiam in futuro : et omnia

subjecit sub pedibus ejus. *℟.* Adjuva  
nos Deus salutaris noster : et propter  
gloriam nominis tui Domine libera  
nos : et propicius esto peccatis nostris  
propter nomen tuum.

*Alleluia. Versus.* Dulce cordi nomen  
Jesu melos auri : mel in esu : cor



vertit in júbilum : et fugat mundi

síbilum.

*Sequentia.*

**D**ulcis Jesus Nazarénus, Judeó-  
rum rex améenus : pius, pul-  
cher, flóridus.

Pro salúte sue gentis, subit mortem  
cum torméntis : factus pallens,  
lívidus.

Dulce nomen et cognómen, hoc  
transcéndens est prénomen omnibus  
nomínibus.

Mulcet reos sanat eos, fovet reos,  
munit eos, servat ab insúltibus.

Hujus regis sub vexílllo, statu degis  
in tranquílllo : hostes tui fúgiunt.

Nomen ejus meditátum, belli fugat  
apparátum, hostes victi rúgiunt.

Hoc est nomen recoléndum, quod  
sic semper est treméndum: malígnis  
spirítibus.

Hoc est nomen salutáre, et solámen  
singuláre : quod succúrrit trístibus.

Hoc nos decet honoráre, archa  
cordis inseráre : cogitáre peramáre,  
amóre sed heróico.

Ignácíus hoc dócuit, hocque passus  
insónuit, cor ejus scissum páruit,  
inscríptum Jesu célico.

Ut quid majóra cúpimus, quam  
quod Jesus sit íntimus : qui est pre-  
amantíssimus : et querit nos amáre ?

Amat ferventíssime, amat  
constantíssime, amat benigníssime :

et suos vult juváre.

Nomen suum fecit tale : ut sit  
cunctis cordiále, capitále, principále,  
diléctum ex íntimis.

Hoc habent natúre jura, ut  
amántem tota cura reamémus  
placitúra prestántes ex ánimis.

Jesu nomen omne bonum, tenet  
dulcem facit sonum, promerétur regni  
thronum : audítum letificat.

In hoc lucet splendor Patris, In hoc  
patet decor matris, In hoc fulget  
honor fratris, Hoc fratres magnificat.

Caput Jesu cor mens manus, pes et  
corpus vigor sanus : sanguis Christi et  
humánus, parántur homínibus.

Hec torquéntur passa dura, his  
lesúra et natúra : reparántur pia cura,  
purgátis crimínibus.

Ergo si quis velit scire, quare  
nomen Jesu mire : facit bonos  
concupíre : sui inheréntiam.

*Divisio.*

Jesu pulcher in decóre, summe  
bonus in valóre: mitis lenis in  
dulcóre, pronus ad cleméntiam.

Jesus est rex generósus, Jesus forma  
speciósus : Jesus lingua gratiósus, et  
mirándus ópere.

Jesus fortis animósus, Jesus pugil  
vigorósus, Jesus donis copiósus, et

gaudet tribuere.

Jesus pie viscerosus, Jesus ductor  
luminosus : Jesus est deliciosus, et  
sapit dulcissime.

[100v.]

Jesus fama gloriosus, Jesus cunctis  
fructuosus : Jesus totus virtuosus,  
fovet suos optime.

Summus potens in vigore, summus  
celsus in honore : summus gratus in  
amore, omnem laudem continet.

In sciendo summe sapit, ambiendo  
cuncta capit : diligendo corda rapit, et  
illata detinet.

Eya nomen nobis gratum, dulcis  
Jesus appellatum : sit in corde sic  
firmatum, ut non possit erui.

Hoc reatum peccatorum, tollat pres-  
tet jubilorum odas vita beatorum :  
donet bonis perfrui.

*Tractus.*

**D**ulce nomen Jesu Christi Felix  
nomen ferens tristi, Jocundans  
mentem jubilo. ✠. Tollit luctum  
affert fructum : Et obductum et  
seductum Purgat cor a nubilo. ✠.  
Nominatum invocatum Honoratum  
predicatum Semper sonat dulciter. ✠.

Tam peccatum quam reatum  
Condonatum expurgatum : Reddit  
mulcens leniter. ✠. Hostes ferit,  
mores serit : Mala terit, graves gerit :  
Plenum est presidium. ✠. Nos  
defendit nos accendit : Nos intendit  
et extendit Hoc nomen in gaudium.

*Evangelium. Secundum Mattheum. j. [20.]*

**I**N illo tempore. Angelus Domini  
apparuit in somnis Joseph dicens,  
Joseph fili David : noli timere  
accipere Mariam conjugem tuam.  
Quod enim in ea natum est : de  
Spiritu Sancto est. Pariet autem  
filium : et vocabis nomen ejus Jesum.  
Ipse enim salvum faciet populum

suum a peccatis eorum. Hoc autem  
totum factum est : ut adimpleretur  
quod dictum est a Domino per  
prophetam dicentem, Ecce virgo in  
utero habebit et pariet filium : et  
vocabitur nomen ejus Emanuel : quod  
interpretatur nobiscum Deus.

Credo. [923].

*Offertorium.*

**I**N nomine meo demonia ejicient :  
linguis loquentur novis, serpentes

tollent : et si mortiferum quid  
biberint non eis nocabit : super egros

manus impónent et bene habébunt | allelúya.

*Secreta.*

**I**N veneratióne nóminis dilec-  
tíssimi Fílii tui Dómini nostri  
Jesu Christi tibi Deus Pater  
misericordiárum devótis méntibus  
hóstias immolámus : suppliciter  
deprecántes : ut eárum virtúte cunctis

egéntibus prestétur auxiliúm : et in  
eódem nómine delectántes salutárem  
sui propósiiti consequántur efféctum.  
Per éundem Dóminum nostrum  
Jesum Christum.

*Prefatio.* Quia per incarnáti. [925].

*Communio.*

**M**Incéti dabo manna abscón-  
ditum et dabo illi cálculum  
cándidum : et in cálculo nomen

novum scriptum quod nemo scit nisi  
qui áccipit.

*Postcommunio.*

**S**Acrosáncta mystéria que sump-  
simus Dómine ad honórem  
nóminis complacentíssimi Fílii tui  
Dómini nostri Jesu Christi devótis  
precórdiis recoléntes : quésumus, ut  
incrementa spirituális exultatiónis  
accúmulent : et afféctum nostrum ad

hoc salutíferam nomen nobis júgiter  
impriméndum accéndant : et ad  
jubilatiónem jubilándum in Jesu  
Salvatóre nostro dulcíssimo tota  
mentis intentiÓne promóveant. Per  
éundem Dóminum nostrum.

¶ *Per totas octavas dicatur missa predicta quando de octavis fit servitium : sed sine Credo.*

*Sequentia per octavas.* Jesus pulcher in decóre. *Éc.*

<sup>39</sup> [*Missarum &c. ex Portiforiis.*]

<sup>40</sup> [ **¶** *Missa pro febribus.*

*Officium.*



Ustus es Dómine et  
rectum iudícium tuum  
fac cum servo tuo

secúndum misericórdiam tuam. *Ps.*  
Beáti immaculáti in via : qui ám-  
bulant in lege Dómini.

*Oratio.*

**¶** Mnípotens sempitérne Deus  
qui per sanctos Apóstolos et  
Mártyres tuos diversa sanitátum dona  
largíri dignátus es : da quaesumus ut  
praeséntem fámulum tuum *N.* quia  
fébrium vexatióne fatigátur : per

intercessiónem sancti Sigismúndi  
regis et mártiris tui tua medicína  
érigat ad salútem et ad sanitátem  
pristinam cleméner revocáre  
dignétur. Per Dóminum.

**¶** *Lectio libri Sapientie.* [*Ecclus. xxxiv. 14-17.*]<sup>41</sup>

**¶** Qui timet Dóminum nichil  
trepidábit et non pavébit,  
quóniam ipse est spes ejus. Timéntis  
Dóminum beáta est ánima ejus. Ad  
quem respicit et ipse fortitúdo ejus.  
Oculi Dómini super timéntes eum :

protéctor méntium firmaméntum  
virtútis. Tegmen ardóris : et umbrá-  
culum meridiánis. Deprecátió offen-  
siónis : et adjutórium casus. Exáltans  
ánimam et illúminans óculos : dans  
sanitátem et vitam et benedictiónem.

*Gradale.*

**¶** Miserere michi Dómine quóniam  
infirmus sum sana me Dómine.  
*℣.* Conturbáta sunt ómnia ossa mea :  
et ánima mea turbáta est valde.

**¶** Allelúya. *℣.* De profúndis clamávi ad  
te Dómine : Dómine exáudi vocem  
meam.

**¶** [*Evangelium*]<sup>42</sup> *Secundum Mattheum viij. (14-17).*

**¶** In illo témpore. Cum venísset  
Dóminus Jesus in domum Petri :  
vidit socrum ejus jacéntem et

febricitántem. Et tétigit manum ejus :  
et dimísit eam febris. Et surréxit et  
ministrábat eis. Véspere autem factó :

obtuérunt ei multos demónia habéntes. Et ejiciébat spíritus verbo : et omnes male habéntes curávit. Ut adimplerétur quod dictum est per

Isáiam prophétam dicéntem, Ipse infirmitátes nostras accépit : et egrotatiónes portávit.

*Offertorium.*

**D**omine convértere et éripe ánimam meam, salvum me fac

propter misericórdiam tuam.

*Secreta.*

**O**fférimus tibi Dómine múnera sancta in nómine elécti tui Sigismúndi regis et mártiris tui : ut a

praesénti egróto *N.* fébrium ardóres repélli júbeas et exínde tuo semper in ómnibus muniátur auxílio. Per.

*Communio.*

**A**men dioo vobis quicquid orantes pétitis crédite quod accipiétis et fiet vobis.

*Postcommunio.*

**O**mnípotens sempitérne Deus qui dedísti fidélibus tuis obtínere ómnia quae juste precámur : súscipe propícíus preces nostras, quas pro fámulo tuo *N.* in honóre beáti Sigismúndi regis et mártiris tui

deférimus : et quod pro eo devótis méntibus obsecrámus : celéri indulgéntia cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium.

❧ *Missa pro pestilentia<sup>43</sup> evitanda.*

*Ad missam. Officium.*



Ecordáre Dómine tes-  
taménti tui : et dic  
ángelo percutiénti,  
cesset jam manus tua,  
ut no desolétur terra, et ne perdas

omnem ánimam vinam. *In tempore  
paschali, Allelúya. Ps.* Qui regis Israel  
inténde : qui dedúcis velut ovem  
Joseph.

*Oratio.*

**D**Eus qui non vis mortem : sed  
peniténtiam desíderas peccató-  
rum : pópulum tuum quésumus  
Dómine ad te convérte propítius : ut

dum tibi devótus extíterit : iracúndie  
tue ab eo flagélla amóveas. Per  
Dóminum.

*Lectio libri ij. Regum. xxiiij. [15.]*

**I**N diébus illis. Immisit<sup>44</sup> Dó-  
minus pestiléntiam in Israel de  
mane usque ad tempus constitútum :  
et mórtui sunt ex pópulo a Dan usque  
ad Bersabée septuagínta mília  
virórum. Cunque extendisset manum  
suam ángelus Dómini super Jerúsalem  
ut dispérderet eam : misértus est  
Dóminus super afflictiónem, et ait  
ángelo percutiénti pópulum. Súfficit.  
Nunc cóntine manum tuam. Erat  
autem ángelus Dómini juxta áream

Aréuna Jebuséi. Dixítque David ad  
Dóminum : cum vidisset ángelum  
cedéntem populum, Ego sum qui  
peccávi et<sup>45</sup> iníque egi : isti qui oves  
sunt quid fecérunt ? Vertátur obsécro  
manus tua contra me : et contra  
domum patris mei. Venit autem Gad  
ad David in die illa : et dixit ei,  
Ascénde et constitúe altáre Dómino  
in área Aréuna Jebuséi. Et ascéndit  
David juxta sermónem Gad quem  
precepérat ei Dóminus.

*Gradale.*

**M**isit Dóminus manum suam et  
sanávit eos : et erípuit eos de  
intéritu eórum. *℟̄.* Confiteántur  
Dómino misericórdie ejus : et

mirabília ejus filiis hóminum.

**A**llelúya. *Versus.* Salvábo pópulum  
meum in médio Israel : et ero eis in  
Deum in veritáte et justítia.

*Sequentia.*

**J**ubilémus pia mente voce corde  
concinénte : Trinitátem  
collaudántes.

Patrem prolémque precémur  
Sanctum neuma venerémur laudis  
melos concrepántes.

Omnes vena proclamémus, Deum  
summum implorémus miserére quod  
dignétur.

Cor gravátur, mens langéscit jam  
mens meret et plangéscit : pestis  
morsum dum vertétur.

Aura furit, ledit pestis morbus urit,  
nulla mentis spes salútis rédditur.

Mare fluxit misturm felle jam  
tempéstas jam procélla plebs ubíque  
prémitur.

Si pro malis irascáris tempus est ut  
revertáris pie Jesu miserére.

Leo lustran oves querit nisi pascis  
ovis perit Bone Pastor nos tuére.

Terra mare firmaménta queque  
parent eleménta tuo facta númine.

Mare novit te calcántem dum te  
sentit ambulántem, factó fertur  
flúmine.

Cuncta sistunt te jubénte non  
movéntur sed repénte rédeunt  
pacífica.

Toto nisu tota cura tua lauded te  
factúra virtus et almífica.

Auras nobis mitte letas, pestem  
procul pie pellas transfer nos ad vite

metas ne nos turbent tot procélla.

Olim culpa nos ligáti respirántes  
crédimus corde mesto flagelláti tibi  
soli crédimus.

Lex antíqua transressóres, convérsos  
erípuit : tue legis abusóres, pie dum  
corrípuit.

Joab Abner persecuéntem : et hunc  
armis insequéntem, prece data vénia.

Joab vitam consecútus nocte viam  
transit tutus per montis cacúmina.

David in prophético, vita datur  
término, pro delícto gravi.

Tersu fugit fácinus dum fatétur  
vócibus inquiens peccávi.

Ezechías reddit fletum, et peccátum  
est delétum, statim ut penítuit.

Mitis hester pie mentis pro salúte  
sue gentis assuérum ádiit.

Hinc fit salus Mardocheo, crux  
servátur Amanréo quia suspénsus  
périit.

Virtus Judith de supérnis, diva dum  
illúminat : caput aufert Oloférnis, et  
captivos líberat.

Mater ergo summi regis, tibi natus  
Christus verus : nos signávit umbra  
legis, Hester tu hic assuérus.

Virgo natus intercède ut afflíctos  
líberet, salvet hos a pestis cede, quos  
pie redímeret.

Virgo mater maris stella fons  
ortórum verbi cella, ne nos pestis aut

procélla, peccatóres óbruant.

Eia mater terge fletum, tempestátis tolle fretum, cor mestórum redde letum, jam preces subvéniant.

Proles parcit si peróras mater ergo rumpe moras, posce tuum Fílium, ara feda tumpens pestis, simul cadant

confer mestis, salútis auxílium.

Nostros tuus ipse natus tollat penas et reátus, nobis prestans consolámen, verum regno sempitérni, ubi cives sunt supérni, personémus ómnia. Amen.

*Evangelium. Secundum Lucam. iiij. [38.]*

**I**N illo témpore. Surgens Jesus de synagóga : introívit in domum Symónis. Socrus autem Symónis : tenebátur magnis fébribus. Et rogá-  
érunt illum pro ea. Et stans super illam imperávit febrí : et dimísit illam. Et contínuo surgens : ministrábat illis. Cum autem sol occidísset : omnes qui habébant infirmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens : curábat eos. Exíbant autem demónia

a multis clamántia et dicéntia : quia tu es Filius Dei. Et incrépans non sinébat ea loqui : quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die egréssus ibat in desértum locum. Et turbe requirébant eum, et venérunt usque ad ipsum. Et detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait, Quia et áliis civitatibus, opórtet me evangelizáre regnum Dei. Quia ídeo missus sum. Et erat prédicans in synagógis Galiléæ.

*Offertorium.*

**S**Tetit pónitífex inter mórtuos et vinos, habens thuríbulum áureum in manu sua : et ófferens incénsi

sacrificium placávit iram Dómini, et cessávit plaga a Dómino. *In tempore paschali, Allelúya.*

*Secreta.*

**S**Ubvéniant nobis Dómine quésumus sacrificii preséntis operátio : que nos et ab erróribus univérsis poténter absólvat : et a tótius

erípiat perditiónis incúrsu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.



*Communio.*

**M**ultitúdo languéntium et qui  
vexabántur a spirítibus immún-

dis veniébant ad eum : quia virtus de  
illo exíbat, et sanábat omnes.

*Postcommunio.*

**E**xáudi nos de salutáris noster : et  
intercedénte beáta Dei genitríce  
sempérque vírgine María : pópulum  
tuum ab iracúndie tue hortóribus

líberum : et misericórdie tue tua fac  
largitáte secúrum. Per Dóminum  
nostrum Jesum Christum Fílium  
tuum. Qui.

¶ *Missa sancti Rochi confessoris.*<sup>46</sup>

*Ad missam. Officium.*



Etábitur justus in  
Dómino et sperábit in  
eo : et laudábilis om-  
nes recti corde. *In*

*tempore paschali* Allelúya allelúya. *Ps.*  
Exáudi Deus oratióem meam cum  
déprecor : a timóre inímici éripe  
ánimam meam.

*Oratio.*

¶ Mnípotens et miséricors Deus  
qui méritis et précibus bea-  
tíssime Rochi confessoris tui quan-  
dam pestem hóminum generálem  
gratióse revocásti : presta supplicibus

tuis, ut qui pro símili peste revocánda  
ad tuam confúgiunt fidúciam, ipsius  
gloriósi confessoris precámine, ab ipsa  
infirmítate : et ab omni perturbatióne  
liberéntur. Per Dóminum nostrum.

*Epistola.* Justum dedúxit Dóminus. [978].

*Gradale.*

¶ Justus ut palma florébit : sicut  
cedrus Líbani multiplicábitur in  
domo Dómini. *V.* Ad annuncián-  
dum mane misericórdiam tuam et

veritátem tuam per noctem.

Allelúya. *Versus.* Justus germinábit  
sicut lílium : et florébit in etérnum  
ante Dóminum.

*Sequentia.*

¶ IN honóre salvatóris sancti Rochi  
confessoris agátur memória.

Qui de celo prenotátur et ad  
matrem nunciátur, salúte angélica.

Qui de ventre matris natus, signo  
crucis est signátus : quod sinístro  
pátuit.

Quartáque sexta féria, semel lactans  
indícia sanctitátis prébuit.

Uti mundo qui cum posset, et  
mundanum fucum nosset : mundus

mundum ténuit.

Omne spreta re patérna, mente  
tendens in supérna : omnia desérui.

Ac most mortem sui patris, et  
decessum sue matris : pégre  
divértitur.

Et ad domos infirmórum, peste dira  
perpessórum : féstine ingréditur.

Jesum Christum Deum clama,  
signo crucis cunctos sanat sua  
providéntia.

Ad quem venit vir beátus prorsus  
fuit hic sanátus, dívina poténtia.

Civitátes Itéli, Rome, Longobárdie,  
sanat suis précibus.

Hospitáli placéntie, percússus pestis  
sílice : abjéctus e ménsibus.

Languens dum in silva sitit, fontem  
Dus sibi mittit preosténsa nébula.

Parvus canis panes portat, a  
Gotárdo et repórtat : cane viro régula.

Sic vir sanctus confortátur, dum  
Gotárdo consolátur : in valle misérie.

Et per ángelum sanátur, qui a Deo  
mittebátur Ráphael in nómine.

Postquam in Longobárdia, província  
Angléria : pónitur in cárcere.

Ab ángelis fovebátur, et de celo  
letabátur : visus miro lúmíne.

Rochus ibi vitam finit, cui Deus  
dare sinit : tábulam per ángleum.

Que dívine scribebátur : scriptis auri  
et ditátur, manu Dei sýderum.

Nomen Rochi infra scríptum, quod  
a Deo fuit dictum : ut qui eam  
décorant.

Pestis vincus depellántur sanitáque  
his reddátur, qui eum commémorant.

Tu qui Deo es tam charus, et in  
luce valde clarus : sana tuo fámulos.

Et a peste nos defénde, opem nobis  
ac impénde : contra morbi stímulos.

Vir tam potens tam beátis cum  
honóre collocátus : in celésti cúria.

Vot voce venerétur, ut per ipsum  
nobis detur : nobis frui glória. Amen.

*Secundum Mattheum. ix. [35.]*

**I**N illo témpore. Circúibat Dó-  
minus<sup>47</sup> Jesus omnes civitátes et  
castélla docens in synagógis eórum, et  
prédicans evangélium regni : et curans  
omnem languórem et omnem in-  
firmitátem. Videns autem turbas  
misértus est eis : quia erant vexáti et  
jacéntes sicut oves non habéntes  
pastórem. Tunc dicit discíplulis suis,  
Messis quidem multa : operárii autem  
pauci. Rogáte ergo Dóminum messis :

ut mittat operários in messem suam.  
<sup>48</sup>Eúntes autem predicáte dicéntes :  
quia appropinquávit regnum celórum.  
Infirmos curáte mórtuos suscitáte,  
leprósos mundáte, demónes ejícite,  
gratis accepístis, gratis date. <sup>49</sup>Ecce  
ego mitto vos sicut oves in médio  
lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut  
serpéntes : et símlices sicut  
colúmbe.

*Offertorium. Ps. lxxxviiij.*

**V**eritas mea et memória mea cum ipso : et in nole meo exaltábitur cornu ejus.

*Secreta.*

**M**unera tibi quésumus Dómine  
obláta sanctífica et intercedénte  
pro nobis beáto Rocho confessóre  
tuo, per hec omnes scelérum nos-

trórum máculas placátus abstérge : et  
sanitátem córporis et ánime nobis  
tríbue. Per.

*Communio.*

**M**agna est glória ejus in salutári  
tuo : glóriam et magnum de-

córem impónes super eum Dómine.

*Postcommunio.*

**S**umpsimus Dómine tua sancta  
beáti Rochi mérita recolénte  
presta quésumus : ut ejus semper et

fidélium muniámur auxílio, et  
magnífico proficiam exémplo. Per  
Dóminum nostrum Jesum Christum.]

¶ *Pro sterilitate femine,*

*tres devote orationes in missa quacunqve votiva dicende.*

*Oratio ante epistolam.*

Om̄nipotens sempitérne Deus  
qui matérnum afféctum : nec in  
ipsa sacra vírgine María que  
Redemptórem nostrum genuit dene-  
gásti : concéde propícus ut éjusdem

sancte Dei genitrícis et beáte Anne  
ejus matris précibus fámula tua *N.*  
esse génitrix mereátur. Per éundem  
Dóminum nostrum.

*Secreta.*

Sc̄uscipe Dómine preces nostras  
cum munéribus hostiárum quas  
pro fámula tua *N.* cleméntie tue  
súpplíci mente deférimus : ut quam  
afféctu<sup>50</sup> filiórum máxime in matrum

viscéribus indidísti : merórem infe-  
cunditátis ab ea submóveas : et  
concipiéndam sóbolem misericórditer  
benedícas. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum.

*Postcommunio.*

Eléstis vite munus accipiéntes  
quésumus omnípotens Deus : ut  
quod pro fámula tua *N.* deprecáti

sumus, cleméntia tue pietátis exaudíri  
mereámur. Per Dóminum nostrum  
Jesum Christum Fílium tuum.

¶ *Finis.*



Notes, pages [943]-[1034].

- <sup>1</sup> ['habebat' 1526], SB-P:464.
- <sup>2</sup> SB-P:466.
- <sup>3</sup> SB-P:467. has 'tertiam'.
- <sup>4</sup> [xxi. Octobris], SB-P:468.
- <sup>5</sup> SB-P:472.
- <sup>6</sup> ['festa' 1526], SB-P:473.
- <sup>7</sup> SB-P:473.
- <sup>8</sup> [*i. e. pneumate*], SB-P:475.
- <sup>9</sup> In SB-P:477.-478. appears also a table covering the years 1875-1999. It is reproduced in the Appendix, **XX**.
- <sup>10</sup> [*ex Portiforio 1526 desumpta*] SB-P:479. These two prayers appear in *Breviarium sive Portiforium* 1526:97v. ed.
- <sup>11</sup> [contagión Mis. 1515, *forsan cogitatione*], SB-P:479.
- <sup>12</sup> [*ex eodem Portiforio*], SB-P:479.
- <sup>13</sup> [laxare foeditatem Miss. 1504], SB-P:479.
- <sup>14</sup> SB-P:481.
- <sup>15</sup> [*His finitis et Officio Misse inchoato, cum post Officium Glória Patri incipitur, accedat Sacerdos cum suis ministris ad gradum altaris et dicat ipse confessionem, [diacono assistente a dextris et subdiacono a sinistris]. Hoc modo incipiendo, Et ne nos indúcas, &c. (Excerptum ex Missalibus).*] SB-P:481.] MS-1500:132v.
- <sup>16</sup> SB-P:482 emends 'dicat' to 'dicant' and adds the note ['*dicat*' Chev. et 1526]
- <sup>17</sup> [: sócia exultatione concébrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti júbeas deprecámur, súpplici confessione dicétes.], SB-P:488.
- <sup>18</sup> SB-P:405.
- <sup>19</sup> ['Christi'], SB-P:497.
- <sup>20</sup> ['et super ómnia' 1526], SB-P:497.
- <sup>21</sup> [*et aquam*' Mis.], SB-P:498.
- <sup>22</sup> [*inclinacione*] *facta*, SB-P:499.
- <sup>23</sup> ['arbitrémur' Chev.], SB-P:503.
- <sup>24</sup> ['sempitérna,' Chev.], SB-P:503.
- <sup>25</sup> [1526 :—'suo reconsignans.' Chev.], SB-P:508.
- <sup>26</sup> ['et ventis ac frigóri' 1526.], SB-P:511.
- <sup>27</sup> ['cruci caro crúribus clavis' 1528.], SB-P:511.
- <sup>28</sup> ['mílitis sed' 1526.], SB-P:512.
- <sup>29</sup> In SB-P:515. is added the as a corrigenda (or as a clarification) '*dicitur sequens ad placitum* (vel) *dicitur una de subscriptis*.
- <sup>30</sup> 1526, [SB-P:517.
- <sup>31</sup> SB-P:519. indicates 'relaxávit' with the note ['*relaxábat*' Chev.].

## Notes.

---

- <sup>32</sup> SB-P:520. indicates 'modo' with the note ['more' *Chev.*].
- <sup>33</sup> SB-P:523.
- <sup>34</sup> SB-P:529.
- <sup>35</sup> 'Propiciáre quésumus', SB-P:530.
- <sup>36</sup> ['treicea' *Chev.*, 'traicia' 1526], SB-P:537.
- <sup>37</sup> ['affectum' *Chev.*], SB-P:544.
- <sup>38</sup> [Brev. 1526 :—'Vigilate : quia nescitis qua hora. *In Communi.*' *Chev.*] SB-P:544.
- <sup>39</sup> This portion appears as 'Appendix' in SB-P:555-558. with the following explanation: 'Post Missam *de Nómine Jesu* in loco harum orationum (p. 544.) nonnullas missas exhibent Portiforia annorum 1526, 1555, &c.
- Inprimis'
- <sup>40</sup> 1556-P:114v. ff.
- <sup>41</sup> SB-P:555.
- <sup>42</sup> SB-P:555.
- <sup>43</sup> [seu 'mortalitate' Missal.], SB-P:556.
- <sup>44</sup> 'Immisitque', *Vulgate*.
- <sup>45</sup> 'ego', *Vulgate*.
- <sup>46</sup> [Item, praeter priorem de eodem sancto in eodem loco quo noster posuit p. 544. additur altera—]  
[SB-P:556.]
- <sup>47</sup> 'Dóminus' does not appear in *Vulgate*.
- <sup>48</sup> The reading skips to Matthew 10:7.
- <sup>49</sup> The reading skips to Matthew 10:16.
- <sup>50</sup> [quóniam affectum, or some such alteration of *Chevallon's* text, is demanded by the sense.] SB-P:554, erratum.